


75 425

Földvár



L

144

Auctor est:
 Michael Földvári.
 e Societ. Jesu. natus
 Posoni 1670. + 1745.
 Vide Rationa: historia
 Critica R. H. tom. XXXV III.
 pag. 861



IDEA PRINCIPUM
IN
SAPIENTIA
CORONATA
MATTHIÆ CORVINI,
Regis Hungariæ XXXIV.

HONORI
PER ILLUSTRIS DOMINI
LADISLAI IGNATII SIGRAY;
Ignatij de Fölsö Surány, Garzobagy.
Et reliquorum
PRÆNOBILIUM. REVERENDORUM
AC ERUDITORUM DOMINORUM

Dum
In Alma Archi-Episcopali S. J. Univ. Tyrnav.
PROMOTORE

R.P. MICHAELE FÖLDVARI
è Soc. JESU, AA. LL. & Philos.
Doctore, ejusdémque Professore Ordinario,
nec non Facultatis Philosophicæ
p. t. Seniore.

Supremâ A.A.LL. & Phil. Laureâ insignirentur;
A

Condiscipulis Philosophis
NEO - DOCTORIBUS
Oblata

Anno M. DCC. XIII. Mense Augusto, Die

Typis Academicis per Georgium Andr. Roden.



NAGY IVÁN



PERILLUSTRIS
PRÆNOBILES, REVERENDI;
AC ERUDITI DOMINI
NEO-DOCTORES
PHILOSOPHI.

Après l'Épée de Samio quondam
Nestore Græcia, jure idem hodie hoc de
Rege, ut suo de tripode, Hungaria. Sa-
pientissime utrobique, quia utraq̃ue non Placenti-
na, aut Africana, sed Veronensi è lege. Ideam
Principum damus, id est Matthiam Corvinum,
virum majorem sæculo, & dignum fabulantium
miraculis datum; cui Pelargicâ lege dudum ob-
strictissima Hungaria. Nihil hæc dignius Ideâ,
vestræ aut sapientie laureatæ Coronatâ: nihil il-
lustrius offerri poterat, aut decebat. Sapientie s̃
vobis (ut amantium similitudo comes est ma-
gnes) in votis sint adita; en uberrima in eo, in
quo nihil, quod in cedro non dignum pe-
rennare. Adeò dicta, factâque omnia auream
sapientie ad regulam. Si laureatis laurorum
messis arrideat, en in auro dignissimam, jugi-
que bellorum serie copiosam: quanquam non
adeò catenatam, quin mitibus etiam clementie
oleis redimitam. Ideam damus, in qua habeant
sua Principes, quæ imitationi: habeant subditi,
quæ emulationi: utrique, quæ serviant admira-
tionem.

zioni. Illos exempla trahant in officium, præsertim cum de littore saxum ostendunt: hos in obsequium cogant: aîspari effectû, non voluntatis defectu, sed facultatis, quam sua cuique præscribit conditio. Idea est Rex cœlitus data, cur non ergo ut visitur, sic emulationi proponatur ab omnibus? quid enim interest, Codrus, an Cresus amuletur Regem? nisi quod inter alium magno, alium parvo utre haurientem è rivo. Accipite brevem hanc tabulam, non suo quidem merito, sed nostro brevitatis studio. Plura de his plures alij, scimus: nos damus majora, ut fortè non omnia. Spicilegi esse consultò voluimus, non messores. Cur enim utrâmq; nobis paginam compleat, quod delibâsse non sat modò, sed & abundè est: neque enim quotidiani medullam saporis cortex hic religioso pandet palato. Accipite ergo sapientem Neo-Sophi; lævigatum fortunæ iter terentem felicioris Minervæ pulli; fortem probati laboribus Heroës, Patrium Patrij, ut ejus exemplo aternitati sudantes in emolumentum Patriæ crescatis, paribus barbata primùm, tum & hastata Palladis studiis fulzuri eandem pariter, ac ornaturi. Vivite ergo, quod vovemus, Neo-Sophi Patriæ; crescite gloriæ: favete nobis hac in Idea Principum: eoque nos voti reos efficite, ut & in vobis principes nobiscum gratetur Hungaria Ideas Sophorum; & favistis non tam nobis, ac vobis, & Patriæ.

Ita vovent

Honoris Vestri studiosissimi

Neo-Doctores Philosophi:



INGRESSUS.



Quisquis hunc intuebitur Hungariæ
Solem, aut aquilæ, aut noctuæ
æmuletur naturam, oportet. U-
tram libet, parum interest; non
vitio id Phæbi, sed suo futurum. *Regit cur-
sus casta Diana suos, ut iniqui fremant catu-
li in jugales. Livore non caruit Matthias vi-
vens, è Peligni oloris sensu: Pascitur in vi-
vis livor, post fata quiescit. (Ovid. 1. Am.)* Ac
quid referat Socrates, an Aristarchus Stoico-
rum Simius superciliosè fremat? manet sua
laus & gloria factò vel post cineres, *tunc suos
ex merito quemquè tuetur honor. (Ovid. 1. Am.)*
Age ergo virtutem in Matthia quiquis es una
mecum specta, & fatere, ut *omne solum cum
sapiente forti Patria est*, sic virtuti tellus o-
mnis principium, arena, laurea. Ignorat hæc
cunas principio, termino metas. Fila du-
cere ordiar, at priusquam telam pertexam,
ad Ledæ ovum delabar, quærámque in limi-
ne: *Unde domo? qui te talem genuère Parentes?
ex quo fonte fluit generosi sanguinis humor. (Bald.*

Batr. l. 1. n. 1. v. 14.) Sunt enim vitio temporum, an ætatis quam plurimi albâ mente, qui prisco reduce more, convicia illico spargant è plaustro, communi cum bobus vaccarum viâ gradi clamitantes omnem obscurum, ac ne Scyro quidem dignum, cui non segmentatori, aviti nominis decora, fumosa avorum ceræ atria compleant, & Romuleos inter factes, aut sæculorum rudera sua censeant fundamenta. Quasi verò virtus, & pretium animi, terris aut sanguini sic domesticum, ut non magis omne solum horum Parens possit esse fœcunda. Quid sapiens? nonne *Et genus, Et proavos, Et quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra putat?* Videmus multos, qui ex se (quod de Curtio Ruffo dicebat Tiberius) *nati videntur.* (*Dio. Cass.*) *Meritum nunquam cunabula querit, Et qualis, non unde satus.* ait *Claud.* spectandum esse. Certè Cortesium & Columbum oceano magno leges dictâsse novimus; novimus immensum nomen, quod tamen antea nobilitate nullâ. Fit enim ferè, ut illustrissimi fluvij à tenuioribus originem ducunt principijs, haud longè subinde alijs natis natorum suo in alveo nomen dantes & gloriam. Denique non nascitur virtus sanguine, sed fit vitâ. Acta cum tempore Parens ejusdem, ac Mater sunt, ut Jupiter clypeatæ Palladis, Trabeas ad stivam Serranus induit. Curius hodie
 messem,

messem, luce postera spolia capitolio inexit:
 enimverò horreum victoriarum; hæ enim ab
 eo. Fabricius, Quintus, ante boves terram vo-
 mere profcissuri stetere, & evocati à Roma
 trepidante, ad bellorum ducenda labara.
Nulli virtuti via, nec regio in via. Omni-
 bus ea terris hospes pariter, ac exul: ijs nem-
 pe, quos indigna se reperit sacraria. Sit ta-
 men & horum arbitrio, in pyrgum tesseram
 jacio: ostensurus *fortem hunc creatum fortibus*,
 quia vetustissimo Romanæ gloriæ & Aquila-
 rum à nido non denegerem pullum, quemad-
 modum jure diademate Albæ Regiæ redimi-
 tus, jugi populi plausu; reliquiarum gentis
 Romanæ titulo est salutatus.

2. I.

Rejectionis fabulæ de origine Corvini.

FAbula est, quam rerum Hungaricarum
 Homerus Antonius Bonfinius (*Dec. 3. l. 9.*)
 Ulrico Ciliæ Comite Patre, obstetrice invi-
 diâ natam obelo notavit, & ut veritati æmu-
 lam confixit. Urebat Coryini sanguinis
 splendor æmulos, & cum gentilitijs Corvi te-
 stantibus signis Corvino genere Joannem Pa-
 trem, Matthiâque ut è stirpe furculos editos
 negare, non tamen ferre ultra valeret, Pro-
 methæi saxi impatiens, pari juris nefasque or-

dine diem veritati dicere, soli nubem offundere tentavit calumniâ; quâ fingit Corvinos (communi, domesticâ egentium gloriâ, studio) magnifico, quia magno patrato dedecore decus nominis nundinatos hâc methodo. Siginundum fabulatur Transylvanos lustrantem, in ingenuam moribus Penelopen, vultu Venerem, Valachi nobilis natam exarsisse, deperisse, compressisse. Tertio post mense se patre gravidam repertam, Achilleo scelerum argumento & pretio muneribus magnificè donâsse, tradito in vicem symboli annulo, præceptoque: ut quidquid tanto genitum sanguine pareret, materno aleret studio, educaret, educatum symbolo reddito sibi submitteret. Hanc subinde & Matrem, & Virginem dote amplâ, conjugiorum illicio, instructam nobili Valacho facinoris conscio, at pudoris dispendium fortunarum impendio postponenti, & gloriam à conjugis novæ probro aucupanti in conjugales cessisse tædas. Hymenæo an Pluto auspice datæ conditionis servandæ lege reum Valachum ultrò factum. Evolutis mensibus dignum hâc Cypride Cupidinem orbi datum, nomine Joannem, neque disparem, ut *parvis semper gratia rebus inest*; actorum omine. Ascanium hunc matris in gremio jacuisse propalam, advolâsse Harpyæ æmulum corvum, & quia *nec fuit Autolici*
tam

tam piceata manus, annulum symboli in vicem datum, spem Genitricis, solamen parvuli eripuisse. In lamenta solutæ Matris precibus commotum Patrem, arcum tetendisse continuo ultorem prædatrix avis, prædæ recuperatorem : & ut Ganimedes amat fortuna tenellos, arrisisse votis, ausisque viri, confossam sagittâ volucrum, receptum spoliū, gaudium matri, felicitatem pupulo restitutam. Joannem prætextâ positâ, dignum tanto Patre se filium formâ, moribus, vitâque in ephæbis probantem, materno jussu, annulo indice, Sigismundi aulam petiisse; agnitum, receptum, amplissimisque villarum prædiorumque muneribus donatum. Atque hoc è fonte Corvinæ gentis gloriam annorum lapsu derivatam. Sed hæc livoris ut natura, sic audacia : quem ferre non possis, impetere : suæ demptum existimare gloriæ, quod additum alienæ. An non enim Sigismundus liberalitatis nepotinx Imperator, cum posset hæredem caput naturalem constitueret sobolem, ut suum quondam Joannem Carolus V. (*Strada de Bell. Belgi.*) & Matthias ipse Corvinus Joannem (*Bonf. D. 4. l. 7.*) Quod trivium ac tonstrinam latebat, adeo vetusta esse, nec sub manu progenita Corvina gentilitia, ut nefas cuiusvis de eorum vetustate in jus ire. Budensi

certè in agro reperta complura ex ære, atq; argento numismata, parte alterâ Constantini caput cum nomine, virum alterâ, *Conservatoris* addito lemate, nudum referentia, framea viri dexteræ, hasta lævæ; corvus subjectus pedibus rostro annuli bajulo, virum juxtâ ac dominum spectans. Quæ ratio nonnullis & Constantini Imperatoris inter Corvinos referendi visa. Visi & lapilli, geminâ Corvinorum imagine gravi armaturâ munitâ, cum simili ad pedes corvo insigniti. Numismata denique in Pannonijs Daciâque reperta, à Bornamissa Quæstoris Urbani aulico, Bonfinio exhibita corvum cum annulo parem ad Andromachen referentia. Nefas proinde sit augustæ stirpi labem inurere, aut Cyclopem agere, vel meditari.

§. II.

Ortus, Patria, Genitores Corvini.

Verto carinam à scylla hac latrantium, quibus cerebrum omne est in lingua, & hac Lycambæa. Lux veritatis de Corvini origine noctuis his oppilet ora. En uno oculorum ictu universam Corvini Profapiam. Editus hic Phæbus Hungariæ in Transylvania ad urbem Claudiopolim Latio, Colosvár vernaculo dictam nomine, Anno Mundi 5405. Christi

Christi 1453. (*Bonf. Dec. 4. l. 9.*) Fundatæ per
 Divum Stephanum, id est conversæ ad Or-
 thodoxam Religionem Hungariæ 459. Pater
 illi Joannes Corvinus Hunyadi, Budi Valachi
 filius, in proximo pago, quem hodie Corvi-
 num dicunt, natus, vir, ut paucis complectar,
 dignâ Coronis sapientiâ; fortitudine, Panno-
 niæ Scipio; vitâ, qualem non violâset olim
 Gallorum licentia, si in Curuli urbe captâ
 confedisset. Mater Elisabetha Szilagia, di-
 gna hoc Achille Briseis. His Marte ac Venere
 ut natus, sic dum bullâ positâ in spem aviti
 sanguinis & Corvini cresceret decoris, educa-
 tus; utriusque mansuetæ juxtâ ac rigentis
 ægyde & clypeo Palladis studiis imbutus.
*Ecquid enim non in antiquam virtutem animos-
 que viriles, & Pater Æneas Julum hunc &
 avunculus excitet Hector. Virg.* Hinc factum,
 ut indigno tanto stemmate convitio, à non-
 nullis postliminio; (*Bonf. Dec. 4. l. 9.*) Valachâ
*oriundus gente regulus; Hibrida, ut dissimilis
 linguæ natus Parentibus, appellaretur. Quan-
 quam minùs unâ mentis his cucurbitis fuerit,
 quam dithyramborum poëtis; ut qui Thusca
 jurgia in eum tentare, quô augustæ Patriæ
 decori, & gloriæ similiorem numinibus re-
 gem ad nos fata non transmiserunt. Ades,
 nisi Hypsæâ cæcior esse velis, dum suis Re-
 gem hunc pingam coloribus, Profapiæ ve-*

tustatem aspice. Piget in hos retiarios verborum aliâ uti ferulâ, à historiæ face, ut quos hujus unius tenebræ moriæ & stoliditatis vexillo theoninos velites centuriârunt.

§. III.

Origo prima Familiæ.

COrvinos à Valerijs Volufijs, Valerios à Sabinis duxisse genus memoriæ proditum est. Sabinos hos ut à Lacedæmonijs *Plutarcho* teste ortos, ad Lacedæmonem quendam, quem Jupiter ipse ex Taygeta tulerit referre liceret, si pretium operæ spectando liberet. Paulò ergo viciniore à lumine ducenda principia, ne dum antiquitatem studio longo, pretio inani eruimus, Pythiâ aut Carmentâ Vate obscuriùs loquamur. Colebatur principio Pelasgis Italia, his comites Sabini Aborigines, nimix pietatis causâ hoc donati vocabulo. Romulus Urbe conditâ (si lacteo Romani ævi Scriptori, Floroque fides) conjugiorum ergò Sabinas rapuit virgines, dolo quantum pernicioso accolis, tantum utili incolis, & vel ideo belli principio. Quo factâ pace sopito in Urbem recepit foceros; Tatium imprimis Regem, ut Dionysius refert. Cum hoc tres ex illustribus sabinorum familiis pari decorati honore,

nore, quibus functi per sæcula communi studio claruere. Fuere hi primùm Valerius, Volufus, & Tallus: quorum accessu, ut & cæterorum (centenum longè excedebant numerum) Urbs dea gentium non mediocri capitum censu est ditata. Tulli Hostilij & Metij tempora florentem videre Marcum Valerium Feccialium Principem, & in sanciendo fœdere Patris Patrati spurij inauguratorem. Claritatem hujus æmulatus Publius Valerius, quo adjutore strenuo Brutus Romano solio, quos dudum stabat animo exigere, Reges felix exegit; tum eodem centuriatis comitijs Consule creato collegâ est usus; donec iterum, cum Tarquinij ad Porfenam confugere, tertiumque cum Publio Lucretio Consulatu fungeretur Marcus Valerius, augustioribus se virtutis merito aptans decoribus, Dictator dictus; belloque iterum Gallico Dictatori adjectus, secundo denique bello gallico Tribunus militum à Dictatore delectus, Furio Camillo gloriam, sibi posterorumque profapiae illustre Corvina nomen inito secundis auspicijs prælio comparavit.

2. IV.

Corvini nominis Origo.

Constitierant parte geminâ castra & acies.
Gal-

Gallorum hinc, Aquilarum inde. Cùm Gallus infulsior pepone mille sibi deposcere Ence-
lados, Romano insultare nomini, neminem
se majorem, ac ne parem quidem sibi re-
periri. Oleum flammæ animi addiderat in-
solens magnitudo corporis, vires Crotoniati
suppares; his unâ animus Junonio major.
Spectat hæc eminus Marcus Valerius Adole-
scens, quanto minor plaustro verborum,
tanto promptior animo: orat certandi sibi
copiam à Dictatore fieri, & exorat. Leo-
nino pectore in Atticum militem pugnatur-
us egreditur, pietate Romulâ propitiat
Deorum Numina dignitati Patriæ, gloriæ
suæ. Aggreditur furore percitum barbaro,
manum conferit, jamque lupum auribus se
tenere cernens, insidere vertici galeæ cor-
vum, oculosque æmuli infestis unguibus
rostróque impetentem miratur; ominis hujus
causâ eo percussus terrore continuò Logo-
dædalus Gallus, ut fractis viribus Adolescenti
turris carnea negotio nullo obruncata concideret.
Quâ partâ victoriâ corvus orientem
repetens alacer, Marco Valerio Tribuno au-
reâ per Dictatorem coronâ donato Corvini
nomen tota cum posteritate legavit.

Miraris augurium? mirare compluribus in
pretio; pene dicam veneratione habitos cor-
vos. Delectatum salutatione corvi Augu-
stum


stum meminimus. Aristeus (Herodoto fides) eâ quondam specie locutus. Denique corvo, cùm proximus futrinæ manceps lustraret in foro, Romanos rerum dominos cum Tyberio Drusôque Germanico salutanti exactâ vindictâ, honorifico parentatum est funere. Quidnî proinde jure gentilitium Corvinæ stirpis decus sit corvus, cujus auspicato augurio incudem sæpe inter ac malleum se versantem usum fuisse confessus Matthias est.

§. V.

Epitome corvinæ gloriæ inter Romanos.

ORrigo prima nominis hætenus, en ordinem Ceris gestisque illustrium. Plures hac è familia Consules, Dictatores, ac Reges, àc ex equo quondam Trojano Dolopes exitio Priami. Quorum secundis auspicijs Reip. prospectum commodis in toga, in sago bellorum laureis tellus omnis fæcunda viruit parens. Livij, Florique à nobis fides, Samnitico bello Marcum Valerium Corvinum Consulem augusta meruisse stipendia; quartum Consulem Cales Ausonum urbem expugnâsse, ac triumphâsse. Quin communi suffragio, si Alexandrum illum helluonem orbis & gloriæ, Italiæ occupandæ ardor incess-

cefferet, unum hunc eidem æmulum parém-
 que futurum constitutum Valerium. Forti-
 tudinis ejusdem testes Hetrufci infesta Romæ
 arma fumentes; Philippus Macedo à Præto-
 re Valerio: Pæni univerfo Punico bello Vale-
 riorum robore preffi. Testes Syllana tem-
 pora, cùm Valerij Flacci Principis Senatûs
 fententiâ ad Syllam destinata legatio. Testis
 Cæfar, rerum demum summâ Patriæ clade
 potitus, qui & Marcum Meffalam Corvinum
 in Repub. florentem confpexit; & Valerium
 Catullum editis carminibus fibi æmulum pas-
 fus est, & Valerium nepotem dividendis Reip.
 agris præpofuit. Sigalion premat cætera bre-
 vitatis ftudio. Summas duxiffe lineas fatis
 est, indices avitæ Romanæ originis, eruditæ
 menti lucem daturas abundantem. Neque
 mirum laborâffe sæcula, ut tantum parerent
 Phænicem Pannoniæ Corvinum. Sæculorum
 opus est ales hic, noctis unius, aut momenti
 potiùs pluvij fungi mille. At quo discrimi-
 ne? digniffimo: immortalitatis in illo occi-
 duæ licèt, redivivæ rursùs é pyra: his cadu-
 cæ vitæ, momento cunas & tumulum
 adornantis.



§. VI.

*Quomodo derivatus in Pañoniam
Corvinus sanguis, & successio
gloriosa.*


A Ge modo derivati in Pannoniam Daciámque sanguinis, dum Laconum more Phariurum æmulabor Harpocratem, relegamus. Corvinum Messalam, Romanæ eloquentiæ Parentem, Poëtarum sui temporis non proletarium fidus, Tibullo vel ideo dilectum rificè (ut amantium mutua cum amore studia, altero alterius causâ & fomento) berio porrò Cæsari tanto observatum studio & imitationi Latiâ oratione propositum quæsciat? Ab hoc primùm Alpini; Pannoniamque superati; ab hoc primùm montes Dalmatiæ, aditusque invij pervij redditi: ab hoc primùm Corvinum nomen ultra Danubij littora, fortunâ aquilarum laureis comite est prolatum. Ab hoc victoriæ Pannoniæ, quid vetet cum probatis authoribus Valeriam provinciam, quæ Danubium Dravúmque interjacet nominatam sentire? Regionem item, quæ Dalmatiam inter Pannoniámque sita est, *Corvaciam* (mutato demum vitio temporum cum ætate nomine) *Croatiam* dictam. *Ædificatum & Corvacum* oppidum prope Theutobur-

toburgum à Corvinis legimus. Imperante subinde Claudio, rebus novis Gallus Asinius & Statilius Corvinus studuere, Pollionis & Messalæ oratorum nepotes. Eaque dignitatis Corvinæ domûs splendorisque fortuna habita Romæ, ut affinitate Cæsarum digna sit censa, Claudiûsque Imperator Valeriam Messalinam consobrini sibi filiam, Nero non longè hinc Statiliam Messalinam Corvino sanguine natam, Tauri bis Consulis ac triumphalis abneptem sibi desponsarit. Corvina di æmulâ operâ in Germanos, Marcomannos, Dacos, Quados, & Sarmatas, quia, ideo felix laureis Domitianus. Severus Imperator Valerij Catulini, & Valeriani Prætorio oriundorum sanguine his in terris formidans potentiam, hos quidem peremit, rerum tamen potito Alexandro Mamurci filio, Valerius Cordius Imperatori moderator adlectus, quin tempestate eadem Messala Corvinus alius summo in pretio, summâ pariter fortitudine, ac disciplinâ bellicâ præditus. Ex hoc genere Valeriani demum Imperatoris Patris Valeriani Junioris, & Galieni, à Sapore Persarum Rege capti, iniquâ virtuti fortunâ, ductam originem sat constat. Aurelianus pariter Sirmij natus, & Aurelius Valerius è Sirmiensi urbe oriundus, qui Alameam Aureûmque montem militari manu vitibus

tibus confitum provincialibus dedit colendum. Valeria item Diocletiani è Dalmatia oriundi filia hac Valeriorum è stirpe profluxisse cenfetur plerisque. Quam provinciam cum Dalmatæ linguâ fuâ dicant Valachiam, hinc Valeriam nonnullorum est fensus & Valachiæ nomen indidiffe. *Wlach* enim Slavonico vocabulo cum omnes veniant Itali; ex eo à Latinis deinde & Græcis *Vlachi*, ac demum *Valachi* dicti; quod ipsum Hungaricum eorum nomen indicare videtur *Oldh*, cum *Olasz* vulgari fermone Italum significet. Minus proindè veri ad regulam Æneæ sylvij, Pontificis dein maximi Pij II. nomine (*Europæ cap. 2.*) sic fcribentis fententia: *Colonia Romana è deducta Duce quodam Flavio, à quo Flavia nuncupata, ex in longo temporis tractu corrupto, ut fit, vocabulo, Vlachia dicta, & pro Flaccis Vlachi appellati. Sermo adhuc genti Romanus est, quamvis magna ex parte mutatus, & homini Italo vix intelligibilis.* Quanquam à jugibus barbarorum eruptionibus, Dacia populi Romani provincia, & Getarum regio cum Pannonijs fit inundata, coloniæ tamen legionésque Romanæ recentes agentes radices, deleri minimè potuère. Hinc per tot tempora sanguis Corvini delituit, & tempestate velut concuffus est, ut quemadmodum Athenæo teste Erythræum inter tempeftates gemmas parit

rit pulcherrimas, sic regio hæc unam ferret omnibus pretiosiore. Pretiosiore sanè vel ideo, quia reconditam aded, tantòque stantem temporum & procellarum impendio. Ferè enim vile pretium ejus est, quod aut obvium, aut levi venale sit asse. Auget æstimationem mortales inter cum raritas, tum consequendi arduitas. Nunquam dulces adeo *Spinæ* forent *diadematum*, aut ut eas vocat Antigonus *servitus splendida*, nisi sola in regno, & vel sic multis vetita. Sic gemma hæc pretiosior omnibus una, quæ in Corvino demum pago (*Hollos* dicto, à Corvis idiomate patrio) suum caput exeruit in Joanne Genitore illustri Matthiæ Corvini. In quo sapientiæ ædificatam regiam inficiabitur nemo, qui structuram aspexerit. Sat prolusum velut in limine, & propylæo; sat jactum fundamenti est operis, aggredior cætera, Lector ave, & fave sapientiæ Domui.





*Sapientia ædificavit sibi domum,
excidit columnas septem. Prov.
9. vers. 1.*

C O L U M N A I.

RELIGIO MATTHIÆ.

2. I.

Amor Fidei, quæ vera Religio.

Asfurge Matthiæ nomini felix Pannonia, hoc sanè nomine, si ulla regio, digna: quia tanto dives Dictatore. Felicissima longè futura, si perenni. Corvinus est, quem dicit calamus: cætera toga, quam ut Numa; sagum, quod ut Romulus gessit, loquitur. Ut non lateritiam te, incultam certè, scientiarum rudem, mancam finibus, peregrinis sacris an profanis magis obnoxiam reperit; at tesselatam cultu, auctam finibus reliquit, sapientiâ, religione. Quibus solis ut basi geminâ, ævum visura stabiliuntur imperia. Cerne gloriosorem Augusto vel eò, quod non nomine, sed re, te cum orbe edoceat, quo ematur pretio regiæ nomen dignitatis Principi: regno felicitatis & æternitatis: scilicet Religione in Fidem, Religione in superos, Religione

gione in orbis Orthodoxi Magistrum, Divinitatis vice fungentem, oraculum sanctitatis, Romanum Pontificem, ac virtute.

Divinus ille Religionis ac Fidei ardor, ut cætera in Matthia suum à clarissimo Genitore Joanne Corvino duxêre principium, ac exemplum. Prototypon ille Ectypi hujus, eo solo majus, quòd prius tempore, non dignitate. Prima hæc ultimam vitæ lineam relegentis Joannis ad Matthiam oratio: *Fili Religionem ac Fidem propugna; tum Rempubli- cam, secus si discordia sit, & te perditum iri, & Regnum delendum, tibi persuasum habeto.* (Ranzanus in Epito: Indice 27.) Dignum Genitore tanto documentum, ut qui meritò à Capistrano illo D. Francisci Familiæ decore (*Idem ibid.*) cælestis fideris, defensoris Christianorum, lucernæ Christiani orbis, & speculi bellatorum illustribus titulis est donatus. Dignum non minùs tanto Genitoris filio; præcessit ille, ut sequeretur hic; viam signavit, quam hic legeret, & servaret. Et sanè servavit pari studio, non minore studij comite gloriâ. Matthiam namque id temporis & ætatis scissis inter se communi odio Europæ Principibus, Cadmæâ undique fementente sæcundis Provincijs, belli flammis ardentibus omnibus, (*Bonif. Dec. 4. l. 1.*) *ad facinora quæque clarissima accomodatissimum,*

non tam natum, quàm propitijs sibi datum Numinibus, censebat Paulus II. cujus ductu, & auspicijs profanam juxtà ac hæreticam Lernæam pestem elideret, prosterneret, triumpharet. Protritæ hydræ vis specimen? En clarissimum. Annus agebatur orbis conditi 5430. Reparatæ salutis 1468. Conversæ Hungariæ 479. Regni Matthiæ X. cum Successor diadematis Bohemici Georgius Podebrad Ladislao Rege defuncto rerum potitus, opibus & clientelis, pacisque longæ commodis præpotens, infesta Romanæ Religioni dogmata amplecti, Divina sacra contemnere, Hussitarum impia tueri & propugnare constituit, fautor ipse & exemplar. Manabat, ut publica ferè sunt Principum vitia, & legum obtinent vices, virus infame non Regno duntaxat universo; sed (communi pestis vitio, an indole) in vicina se malum indies diffundeat. (Bonf. Dec. 4. l. 1.) Instigabat hic (non suorum duntaxat, sed externorum pariter malis affatim indolentem & miserantem) sacrosancta Religio, stimulabat Orthodoxæ fidei charitas, & divinus ardor, ut arma in perduellem Numinis fumeret, septennali bello perfidum Religionis æmulum vindici persequeretur mucrone; quemadmodum & conjuratis in classica Divis felici Martis aleâ potitus, Moraviâ, Silesiâ, Lusatiâque pri-

vans

vans, Regis ipse Bohemiæ nomine solemnî ritu est insignitus, Victorino perfidi Regis filio in Veszle arce obsesso, deditâque arce captivato, sæpiusque ad fidem Orthodoxam amplectendam, detestandamque impiam hæresim quemadmodum antea faxeo Patre nequicquam invitato. Dignum enimverò virtute Regiâ factum! dignam perennare gloriam! utpote cui non necessitudo sanguinis arcta (filiam namque Regis primo sibi thoro junxit Matthias) à vindicanda Matris Ecclesiæ Fideique integritate remoram poterat statuere. Dignum, cui in Olomucensi Basilica electo recens Marchioni Moraviæ, Regique Bohemiæ 1469. his accinerent cætera inter sacris carminibus. (*Magister Joan. de Thurocz in Chronica Hung. cap. 66.*)

*Iste Rex nostros animos fideles
Allevet pressos : reprimatque, matret
Cum suis sectis hæreses iniquas
Quàm vehementer.*

*Xantus humentem citius liquorem
Linet ; arcturus jacet & axem :
Quàm DEI causam, populòsque Princeps
Deserat ob te.*

Cecinère litui ac cornua, nec cecinère tamen duntaxat, sed & vera. Fidem testor anni mundi 5424. Christi 1462. Conversionis Paannoniæ 473. Regiminis Corvini 4. An non edito

edito per Matthiam decreto regio sanctum
 cautumque, ne quis publicæ & damnatæ hæ-
 resi adhærere tentet, læsæ (ut ajunt) Maje-
 statis crimen, & fidelitatis Regi debitæ no-
 tam incurfurus. (*Pater Martinus Szent-Ivân*
Differ. Par. Catalogo 76. ad dictum annum.) Fir-
 mavit ampliùs dignum Principe factum Anno
 mundi 5442. Christi 1480. renatæ Hung. 491.
 Regiminis 22. cùm Hussitas Hungariam Ma-
 rianam ingredi tentantes, extra Budæ vicos
 unà cum liberis & uxoribus vivos sepeliri
 præcepit; digno æternitatis fastis exemplo,
 & hodiernâ æmulatione Hungariæ, eò quòd
 nulla aliâ causâ Rhadamantino hoc puniti
 supplicio, àc quòd contrariam ei Fidei, quam
 Hungari sub Fundatore Christianæ Hungariæ
 Divo Stephano Rege suscepêre, prædicarent
 doctrinam. (*Idem ibid.*) Andabata sit profe-
 cto, quisquis Vatinianum non cernit Mat-
 thiæ in hostes religionis odium; cernat ergo
 (si ingeniorum Phænice, magno illo Macedo-
 nis Moderatore Aristotele teste.) *contrario-
 rum eadem est ratio, ex adverso religionis a-
 morem.*

Catenata bellorum felicissimorum serie
 longum quâ Austriacis, quâ Bohemicis in
 terris commorante Matthiâ inundabant scele-
 rum labes Pannoniam, pronâ ut semper in
 pejora mortalium indole, nisi Argus jugi ad-

fit custodiâ. Spectat hæc redux pacatis turbinibus (*Bonf. Dec. 4. l. 7.*) Anno mundi 5448. Christi 1486. Conversionis Hungariæ 497. Regni sui 29. nec sine acerbo sensu Matthias. Pululantia vix succisa mala rescindere penitus meditatur. Comitia Regni Budam indicit ad Kalendas Januarias. Præter publica, hæc religionis Apostolicæ sancit, ut amori Apostolico, sic commodo: *Abbatēs & Præpositi, qui severiori se vitæ mancipârunt, in testimonijs cæterisque rebus à suâ religionis institutis desciscere nunquam jubentor. Episcopus singula Diocesis Collegia sacerdotum bis quotannis recognoscito; si abfuerit necessitate, per Vicarium boni Pastoris officium resarcito. (Vid. ar. II, § 12. Anno. 1486.)* Laudis Calculum absit adjicere, cùm tantus religionis non amor, sed ardor, studiûmque, ipsa sibi laus, præmium, corona.

Paraphrasis.

Felix Regnum, cui Rex probus: felix Rex, cui religio cordi proxima. Ut enim nihil est, quod lumine clariori præfulgeat in Principe, quàm recta fides, (J.C.) sic nihil tanti ei sit, oportet. Navarcho navis, Rege resp. gubernatur, neutra sine carbasis, cynosura, acu nautica; omnia hæc ei una religio. Magnete suo per sympathiam movetur acus constanter, dum hæc à stella polari tracta

tracta consistat, periclitatur Argos : movebitur Regnum, dum Rex hanc respiciat immobilis immobile sidus. Quod illud sit sidus, novit orbis ut eruditior, melior cum Africano dicente : *Ego verò Evangelium non crederem, nisi me Ecclesie Catholicae commoveret auctoritas* (cont. Manich. c. 5.) Magnum illum Pellæum Iliadi Homeri incubuisse constanter cervicalis vice meminimus; quies hæc Principi hoc in Codice, his Pandectis veritatis. Pro his magis, quàm pro aris, focusque standum, ac cadendum. Advertis Princeps *tangi montem hunc sacrum, cave fumum: ubi enim de religione, ibi de vita agitur.* (Philo in Flac.) Vis causam? Hæc est *charitas expetenda: hæc est major imperio, si Fides tuta sit, quæ servat Imperium.* (Ambr. contra sym.) Fundatum princeps Romanorum Imperium. quâ arte? *Religionis institutione, quâ Regnum cum legibus sic formatum, ut pendente Regno ejus* (Numæ Pompilij II.) *nemo illi bellum intulerit* (Plin. de viris Illustr. cap. 1.) Habes principium, habe ahenum: quibus cœpit, nititur, servaturque medijs salus Imperiorum. Novi equidem ab antipoliticis illis Imperiorum raris, simios religionis formari Principes, aut Vertumnos. Hos cū Machiavello temporis eventu, utilitatisque compendio metiendam Principi religionem, mutandam ut polypum cum fortuna,

tuna ; illos verò Ludovicum Sfortiam, ac Cæsarem Borgiam æmulandum suadentes. At quid juvit hos religionem sprevisse calliditate ? felicitatem felicitate scelerum procaci equidem ; at fastidivit infida fortuna, tametsi prona aliàs procis Juvenibus, perfidos : uterque enim principatu pulsus, comes pœnæ, ut culpæ comparis ; eo solo disparis, quòd ille clatrato mancipatus, ut quondam à Tamerlane Bajazethes, orientis sol, occidentis terror : à tero morbo confectus, brevem longâ morte fit mortem nundinatus : alter Italiâ exul, lixa de Principe, privatus in sicam incumbere coactus, vili raptus jumento, magnum nihil. Alterum meritò propositi sui impetrans membrum : *Indutus mentem animûmque tyranni, aut nihil, aut Cæsar demens jactare solebat.* Religio fecit spreta, nec Principem, nec nihil fuisse. Marpesia sit cautes religione Princeps, nec moveri, néque fingere gnarus religionem. Non enim religio est dissimulata, aut ficta fides, sed religiosa, hoc est ignara mentiri : secus in syrtem & scopulos navem, in majorem navarchum raptura. Servet & religionem imperium, & religio imperium. Hæc sine illo negotio nullo & sæpe, illud sine hac firmas nunquam aget, nec diuturnas radices. Græcorum testor Imperium, contempserit religionem, & die religionis vindice contempserit

tempti honoris (Pentecostes) nonne cessit in
 præmium, & derisum barbaro? Vates erat S.
 Isidorus Hesperiae, (religionis Catholicae ju-
 re primogenitæ) opprimendam, cum religio-
 nem oppresserit, ac deseruerit: cristas con-
 trà super omnes laturam, si per eam re-
 ligio in flore suo. Eventus fidem probavit.
 Triumphavit & Pañonia nostra principio, cum
 recepta ab ea per Carolum Magnum Anno
 795. Religio vindicata: ad vomitum redeunte
 inconstantia gentili, infelicitas redijt: va-
 rias enim populati provincias, libertatem
 anhelantes ab Henrico Rege Germaniae se-
 cundâ clade fusi acerrimè, dignas religio-
 nis desertæ ipsis agnoscentibus dedere pœnas,
 dum tertium ad Licum fluvium ab Othone
 Rege funditus delerentur: cæterique his de
 littore sibi saxum, quod ajunt, signantibus
 in religionis amorem, & restitutionem in-
 cumberent. (*Pater Szent-Ivâni in memorab.
 Hung. Catal. 76.*) Hæc Regnorum, par condi-
 tio Principum. Constantius degener Patris
 filius, & nominis, hæreticus sacro igne oc-
 cubuit. (*Pompon.*) Valens à Gothis fugatus
 in tugurio concrematus. (*Aur. Vict.*) Zeno co-
 mitiali morbo correptus, vivus sepultus: di-
 gnus qui sic periret, cui sic Religio. (*Krantzius.*)
 Taceo Henricum Angliæ VIII. sanguisu-
 gam, & hirudinem religionis, & religioso-

rum, everfis decem millibus templorum & monasteriorum, cum pulsanda Ditis limina : *omnia perdidimus*, quia Religionem, in-
clamantem. (*Hazart.*) Prætereo Ludovicum Imperatorem, 30. ipsos annos flammis ad-
dictum purgantibus, quòd hæresi Nico-
litarum reprimendæ non admodum fortis.
Quis ad calculum revocet Constantes & Phi-
lippicos, Leones & Copronymos, Nicepho-
ros & Theophilos, non perituros, infelicitatis portenta, nisi per eos periisset religio. Er-
rari non perierat; quantum enim his pressa,
tantum alijs sublimata, quos sublimavit *fir-
missimo imperij columine*, (*Lipsius.*) hæredi-
bus : laurearum segete, trophæis : felici-
tate, quia clauso Jani templo. Quantus
Constantinus Imperio? occidentis posses-
sor, orientis fundator, utriusque prodigi-
um. Quantus Carolus Magnus? Ludovicus
Galliæ IX.? Eduardus Angliæ II.? Stephanus
Hungariæ I.? Ferdinandus Castellæ III.?
quorum ultimus innumerorum Regnorum fe-
lix unio, cæteri clari cæteris, quia solâ reli-
gione.

Propugnanda, nec simulanda religio Prin-
cipi; dissimulanda minùs. Simulanda mul-
ta, dissimulanda plura regnantium è regula :
qui nescit dissimulare, nescit regnare; nunquam
tamen in religione, in qua vindicanda solum
pietatis

pietatis & clementiæ genus est, esse crudelem: (S. Hieron.) Religionem in tuis Princeps dissimula, religiosissimus ipse sis Antoninus, omnia fidei eadem pessumdedisti. Nihil enim ita facit ad dissidium, ac de DEO (religione) dissensio. (Naz. orat. 8.) Junctas enim ad amante voluntates populorum, in opiniones primùm dispares, voluntatum ac partium studia, suspiciones, odia, tum & bella moveri quis inficietur? qui historias vel à limine salutavit. Nonne Constantinopolis quamdiu venena Arianorum suis fovebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquieta, murus armis circumsonabat hostilibus. Postea verò quàm fidei exules abdicavit, hostem ipsum judicem Regum, quem timere consueverat, subditum vidit, supplicem recepit. (D. Ambr. in Prolog. l. 1. de spir. 8.) At quid Pythia aut Carmenta veterum recoquo? Videre parentes frontibus adversis fraternaque cominus arma, cognatasque acies. Convulsam per Genevensem illam hydram, Hugonottorum ut vocant Coryphæum Calvinum Galliam Florimundo Remondo teste: laceratam, si Stapletono fides, ab Antipapa laico, crudelitatis, Veneris; & quorum non? portento Henrico Angliam: laniatam centenorum millium civilis belli clade per abortivum illud, & proditorem Patriæ excucullatum Lutherum

Germaniam, & Poloniam; Belgium fractum, Pannoniam nostram his ipsis ultimis turbibus defloratam consulite, & pollicem prementis in meam manibus pedibusque abituri sententiam. Cladium, effusionum sanguinis, calamitatum omnium in regno Mater, hircudo, Principum hæresis, hoc est religio dissimulata. Experta id anno 1047. Hungaria; cum Andreas factâ potestate pagani cultus, pacem turbari, sibi, coronæ, imminere vidit exitium, donec abrogato indulto, capite omnes fortunisque multaret, D. Stephani fidem non observantes. Et quâ fiat, non lacerari profana, dum profanantur sacra, & divelluntur? Sacra in profana, profana Martis Ditisque in mala abire jubentur? Pace gaudet religio, quæ nutrix pacis & unionis; bello hæresis, hæc enim cœpit, crescitque indies, ut flamma turbinibus, confusione pestis, tempestatibus mala. Seditiones Hungariæ vel nostrâ tempestate compertas appello, ut veteres Regnorum aliorum præteream; prima his semper Parens hæresis, obstetrix constans, ac nutrix, ultima fautrix, quia sui studiosa emolumentum, in turbido, hoc est Principis damno piscatura, dum Regno felicitatem, Principi gloriam ac fidem, cœlo cultum eripit, sibi soli sat felix, & tum innocens visa maxime, dum rea omnium maxime. Vertumna
sem-

semper, & semper a sylo gaudere contendens Jovis Capitolini. 1603. Moyfes ficulus Ariannus nonne in auxilium Turcas, nonne eosdem Bocskajus 1604. in catholicos gravissimè sæviens evocare tentavit? Quis primus in Ferdinandum II. sub Gabriele Bethlehemò Hungariæ, & Bohemiæ Regem conspirare, secundò & tertio evocatis 40. Tartarorum millibus ausus? Lutherus, Pragensis ac Viennensis spiritus crudelibus catholicos vexans tormentis Annis 1619. 26. & 27. Quis Georg. Rakoczium Principem Transylvaniæ Calvinistam ad indicendum Cæsari Regique Hungariæ motum induxit, nisi vertigo hæretica. Infinitus sim hujus unius Regni accepta ab hæresi damna exemplaque ampliùs, quibus bellorum Parentes hæreses demonstrantur, referre: suffecerit perfidia vel duorum 1671. & 1683. annorum, evocato rursus in perniciem regni Dracone orientis barbaro, quorum primo 1671. conspirantes in August. Leopoldum proscripti prædicantes, & complices, & auctores quam plurimi; (*Vide commissionem contra eos factam Posonij.*) Et his dissimulandis Princeps intendat? his, quorum veritas, imponere; fides, perfidia; sanctitas, odium & sævitia in Catholica sacra? ab his dissimulatis felicitas & pax? cum quibus nec animorum, minùs vitæ studiorumque communio, nover-

cale quin magis odium & exitium universæ Reip. loquuntur fasti, testantur exempla, probat autoritas, sancita præcipiunt. O Divina Apostolicorum in hos Lycurgorum sancita. Primi Divi Stephani consultò nihil moror: recentia magis adduco Ludovici II. Decr. 54. Regnicolarum communi voto sancitum: *Omnes Lutheranos & illorum fautores, ac factioni ipsorum adherentes, tanquam publicos hereticos, hostesque Sacratissimæ Virginis Mariæ pœnâ capitis, & ablatione omnium bonorum suorum, Majestas Regia veluti Catholicus Princeps punire dignetur.* Hæc Budæ festo Divi Georgij 1523. Amplius anno 1525. dum confirmatum Comitij Regni in campo Rákos: *Lutherani omnes de regno exstirpentur, & ubicunque reperti fuerint, non solum per Ecclesiasticas, verum etiam per seculares personas liberè capiantur & comburantur.* Dignæ luce non aliâ, lucem Patriæ & Ecclesiæ sic obscurantes noctuæ. Divina me hêrcle statuta, divina pariter vel belli fulmine ejusmodi zizania exstirpandi nonnullorum audacia. Carolus V. in protestantes Imperij movens religionis ardore, quâ cardo vertebatur Imperij, spectatâ cruci affixo Domino illatâ truncatis naribus injuriâ, posito diademate: *hodie, ait, Domine si libet per me injuriam vanaicare poteris.* Ivit, congressus, fugato

gato hoste, ad internecionem cæso, capto Saxone Principe vindicavit. (*Masen. in anima hist.*) Clodoveus Francorū vix religione susceptā, Wisigothos Arij studiosos exegit continuo: laturusne hic posteriora sectarū portenta? Bellator quantus in hostes Pannoniæ felix semper Matthias Corvinus, tantus Petrus I. Arragonum, plures hostium Ostensem ad urbem profligans, victoriæque monumenta Urbano II. submittens, testes non adeo regiæ, ac catholicæ victoriæ. Tantus Philippus II. nunquam induci se passus, ut ad componendas seditiones Belgarum religionis libertatem concederet, parsurus immensæ provinciarum, ærisque impensi jacturæ, probè gnarus *respuendam esse utilitatem nostram, ubi divinitatis est injuria.* (*Ambros. in Luc. 18.*) Tanti deniq; principio Stephanus Hungariæ Rex, Ferdinandus II. illud ut religionis, sic felicitatis prodigium, Imperator, nunquam minùs *rati esse de tempore religionem inde Ethnicam, hinc hæreticam persequi, quàm cum rerum potita, leges dictare dictantibus, obtinere jura & sancire, minimè esse de tempore videretur.* Imprudentiæ damnabatur virtus heroica, quæ summa erat prudentia, sed pietatis. Néque enim est virtus heroica, quæ non principio imprudens, quia temeraria videatur. Felices inquam hi, quia non sui statûs ratione

habitâ, sed religionis. Tutari vix licebat, nisi prodigio, & ampliare inaudito meditati exemplo, & ampliârunt. Et nisi tum de tempore visum Ferdinando, Stephanóque fuisset, quis novit an hodiedum hoc in flore Germania, hâc Hungaria facie? vel invita Ferdinandeæ religioni favere debuit fortuna, languens diebus nonnullis, ut recreatis viribus illustrius religioni serviret. Quia religionis amans, felicem esse oportuit; neque tutè tam felix, nisi amans religionis. Plures non religiosi visi fortunati ad tempus, non diu; fortuna demum termino velut ictu scorpionis cædente. Oppressus videbatur, nec premi poterat: *Campanus* eruditè: *Omnia secunda sunt colenti DEUM, adversa spernenti;* & qui religioni studens divina tutatur, fluctuare potest aliquando, mergi non potest. Exemplum, quod Principes nocturnâ versate mente, versate diurnâ.

Felices hi Imperio, quia religione; infelices alij, quia neglectâ religione. Quantus in Maxentium non fabuloso Romæ ancili, sed crucis symbolo hâc notato epigraphe: *in hoc signo vinces, Constantinus?* Tanti infelicitate orientis Imperatores, dissimulatione & incuriâ hæreses recipientes; collapsò sensim Orientali Imperio, & in Pipinum Carolúmque filium translato. (*In vita Caroli.*) Quàm felix in Ma-

ximum & Eugenium Theodosius, cœlo auspice spicula retorquente in hostes? Tam infelix in Hispania Rex Wetericus Arium reduci volens, intra fines palatij miserè trucidatus. In Hungaria Matthias II. quòd extortâ Acatholicis libertate fidei, invitus quamquam, diadematis tamen amore victus faveret, pressus aded, ut fateretur *nullam sibi graviorem, quàm Hungariæ coronam; eò quòd cætera verticem, hæc & conscientiam premeret, ob concessam libertatem exercitij sectarum*, contradicente *Francisco Forgacs de Ghymes* Archi-Præsule Strigoniensium cum universo Ecclesiastico statu.

Quid plura? blasphemus, pestifer, seditiosus, communi facinorosorum coërcetur supplicio; hæreticæ sementi cuivis, his omnibus pejori, igni & aquâ non interdendum? O tempora! O mores! Ubi nunc heroes augusti, non esse de ratione temporis, coaxantibus oppilaturi ora; Joannes Draskoviczij, & Thomæ Erdôdij? Bani, ille Illyrij, hic Croatiae. Quorum prior acerrimè peroranti oratori, & inconditæ multitudini pro libero sectarum his etiam in terris exercitio, in publicis Anno 1609. Regni comitijs Posonij, ne qua se superandi ansa præberetur, evaginato propalam gladio hæc ferè: *Hoc ferro, si aliter fieri non poterit, pestem istam à nobis eliminabimus, trêsq; nobis adsunt fluvij Dra-*

vus, Savius, & Colapis è quibus unum novis istis hospiti- bus sorbendum dabimus. Alter verò, cum in alijs Regni comitijs de inducenda in Illy- rium novarum sectarum libertate inter Ortho- ac heterodoxos lis esset: confessus palàm: malle se cum omnibus Illyrij Regnis ab unione Co- ronæ Hungariæ separare, quàm mortiferam illam animarum pestem, ac famosissimam Reip. labem se Bani jura gerente admissam, concessamve suis in regionibus videre. Juvit audacia, quia ho- dièque pestis hujus expertia Regna hæc. O ubi denique Machiavelli sententia, dicentis: nihil studio majori curandum Principi, quàm Religionis unitatem in Regno, ex qua fides amòrque in Principem certa; certa contrà perniciës difformitate. At quorsum ego hæc? tempus concludere rivos, sat prata biberunt.

2. II.

Religio in DEUM ac Cælites.

Basilica religionis amore Matthiæ gloria, minòrne Cœlitum pietate? Hèu! sepul- ta Matris Egeriæ cum Pompilio gloria, dum Matthiam intueor. Ut (Bonf. D. 4. l. 8.) mi- ra ei religio, insigni etenim polluit pietate; tan- tæque Divini cultûs sollicitudo intererat, ut domi- nitiæque non secûs ac Alexander dextrâ DE-
UM

UM, sinistra hastam ferret, in Deos & homines juxta liberalis. O à principe Pannoniæ historiographo, princeps elogium Principi! Neque vulgari historicorum Laudunensi scilicet, sed Germanæ veritatis candore! En contem virtutis exempla. Mentiantur frons, oculi, vultus, addo: oratio, non propria tantum, sed aliena, exempla Sibyllæ dissona nunquam.

Pietatem testetur Annus mundi 5426. Christi 1464. Convers. Hung. 475, Regni 6. Regiâ munificentia insignis, (Bonf. D. 3. l. 1.) quo Varadinensi Episcopatu comitatum Bihariensem jure perpetuo addixit eâ lege, ut Varadinensis Episcopus (tum quidem Joannes Vitezius Moderator ab Adolescentia Regis, sapientiâ, virtute, autoritate, & gratiâ Matthiæ in paucis princeps, ex Episcopo Varadinensi demum & Archi-Præfulis Strigoniensis insulâ donatus) Comitatus ejus Comes esset, ac diceretur perpetuus. Et hoc quidem unius singularis in Divam Genitricem, & D. Ladislai Numen religionis ergò. (Cum Joannes Vitezius, cui Pater moriens nos unice commendavit, nobiscum utramque fortunam subire non recusavit, pari quoque discrimine nobiscum in captivitate incidere, liberaret Bohemico carcere, domi forisque nobis consilio, labore, operâ semper adfuerit, dissensiones & bella represserit, in Bohemi-

ca, Turcica, Transylvana expeditione & Bosnensi vel sua praesentia, vel copiarum auxilijs nunquam nostra castra deseruerit, & salutari demum Legationis officio gravissima quaeque negotia feliciter confecerit, Coronamque nunc sacram longo postliminio retulerit, placet Nobis, Patribusque conscriptis, eum, Successoresque suos ob singularem, qua in Divam Genitricem, & Ladi-lai Numen afficimur, religionem, Comitatu Bihoriensi perpetuo donare, ut eadem fidelitatis officia commodius continuare possit, & nos evitata ingratitude notam haud indebita virtuti premia persolvamus.)

Prætereo regiae alterum in caelites munificentiae testimonium, dum augustissimo sumptu Budae in illustrissima illa, suoque superba monte Regum Parente Pannoniae Troja, à Danubij parte regiae par dignitati sacellum erexit, cujus nonnulla Bonfinij (D. 4. l. 7.) temporibus licuit intueri rudera; hydraulicis id organis, duplicique fonte sacro marmoreo, & argenteo decoratum, adjunctam fundatione locupletissimam Collegij, Apostolico numero Mystrarum 12. Et haec Budae quidem, paria Vifsegradi; ubi ad latus areae regiae in radice montis sacellum amœnitate sumptuque æquali spectabatur. Superbiebat id fastu sacro, operibus stratum mosaicis, aris, structuris, tabulis, Dominicique corporis sacrario alabastro

bastro purissimo, ac inaurato: Lesbio de-
 mum instrumento (organum dicimus) argen-
 teis fistulis modulante. (*Nicol. Olahus in Ma-
 nuscr. Szent-Ivâni in memorabilibus Hungariæ
 Catalogo 4.*) Sileo alterum pio cæptum ut af-
 fectu, sic conatu, etsi frigidæ illius Deæ falce
 succisum. Albæ-Regalis Regum quondam
 Pannoniæ Coronationibus, constanti sede,
 Mausolæoque Urbe & illustrissimâ & notissi-
 mâ, quanquam hodie bellorum, temporum-
 que injuriâ hoc parum nomine dignâ, dum
seges est, ubi Troja fuit, hâc inquam Urbe in
 D. Genitricis Basilica augustissima molitus o-
 pera non instaurando duntaxat, sed in illu-
 striorem cælo Virginéq; dignam magnificentiâ
 sublimando. Magnam cum primis aram lon-
 gè pristinâ laxiorem fundare adortus, quâ sibi
 Genitorique Mausolæum translatis eodem
 Elisabethæ Parentis pietate clarissimæ fæmi-
 næ cineribus, sacellumque stirpi universæ
 conderet, opus artem si non superante, æ-
 quante certè materiâ testudinis eminentissi-
 mæ, quadrato cæptum lapide, jamque in con-
 vexa se tollens absida: tótque circum obstru-
 ctum fornicibus, ut aquilino cuique præcel-
 lat ingenio, próque loci paludosi natura am-
 plissimis nixum fundamentis. Verbo: *opus
 ac ædificium insanum dictum* (si sumptus ac ma-
 gnificentiam spectes) *ut quo uno duntaxat cæ-*
tera

tera superiorum Regum opera obscurare sit visus. (*Bonf. D. 4. l. 7.*) Minimè tamen infanum, amplissimâ, cœloque dignâ Regis Corvini in superos religione. Taceo hæc inquam, quia domestica.

Externa lustremus, minimè tamen extra oleas, quia Pietatis argumenta Corvinæ. Captis certè inito contra Fridericum Bello, ruptisque inducijs, Badenâ, Peterstorpho, Medlingâ, non contemnendi olim roboris, cæterisque finitimis oppidis ac castellis Anno mundi 5448. Christi 1486. Convers. Hungar. 497. Regni sui 28. 27. *Januarij* arctiùs Urbem obsessuro Corvino, quid Religione cœlitum antiquius? Viennensibus continuò D. Primicerio Martyrum Stephano, D. Leopoldo, cæterisque Numinibus patrijs cultum majorem, magnificentiora vovet templa, & aras; si fortè (avertat quod Jupiter omen) obstinatæ Urbis immineret exitium; sin se dedere mallet, superis primùm, tum mortalibus auctus maximos pollicetur (*Bonf. D. 4. l. 5.*) Quid (Neostadij vernaculo, Neapoli Austriæ latior sermone) celebri quondam Cæsarum Romanorum Asylo, ab eodem Agamemnone anno proximè insequente obsessio factum Æneæ æmulum pietati? obstinatæ certè Urbis æmulus hic ad portas Hannibal, cùm longum suos deludi ab hac Numantia cerneret ausus, virés-

que elidi; sævo ignium imbre immisso, machinarumque bellicarum continenti fulmine templa diruere, reliqua Mulcibero sacrare constituit unà, eà tamen pietatis lege, ut priorum in vicem Basilicarum, marmoreis subinde erectis felix Divorum sarciret dispendium, orbique ostenderet, Regem se ætate fuisse suâ, (*Virgil.*) *quo justior alter nec pietate fuit, nec bello major & armis* (*Bonf. Dec. 4. l. 8.*) Cui sic cordi cultus Numinum, templorum in gloria, compar in propriæ pietatis affectu. Expeditionem apparabat Matthias in Fridericum Augustum Anno mundi 5439. Christi 1477. Convers. Panno. 488. Regni 19. hæc ut Numinibus magis, quàm avibus propitijs felicem sortiretur eventum, ad aras omnes rem divinam fieri præcepit. (*Bonf. D. 4. l. 5.*) Iisdem concepta votis belli Augusto indicendi formula, his ferè deprompta: *Nos Matthias Rex Hungariæ, cæteri que Pontifices, Reguli, Optimatèsque justum tibi bellum indicimus, & JESUM Christum, Optimum, Maximum, Divam Genitricem peculiare Hungariæ Numen, cæterosque Deos patrios violatæ justitiæ, ac læsæ pacis, & inexplebilis avaritiæ vindices precamur, ut propiùs victoriâ nostra arma respiciant, vires legionum obsurment, & ulterioribus injuriarum, ac violatæ quietis, & fidei assertoribus debitam insignemque victoriâ tribuant.* Proinde aut

*cæsaream mentem ad resipiscentiam revocent, aut
suscepta nobis iuste vota, auspiciisque fortunent.*
(*Bonf. D.4. l.5.*)

Hæc ante belli flammæ pietatis flamma,
eadem in medijs incendijs, imò post ea in-
cendia. Sollicitus namque de Transylvani-
cis rebus pro muneris augusti ratione Mat-
thias, ubi ad internecionem à Stephano Ba-
thori Transylvaniæ Vajvoda cæsar Othoma-
norum vires accepit, ingentes non Jovi, ut
olim statori Roma, sed conservatori patriæ
DEO Opt. Max. gratias egit, quòd semper fe-
cundis ventis antennas felicitatis Pannoniæ
impellat. Aris omnibus cum Regina Rex
ipse supplex, paria populis pietatis publicæ
edicit officia, & ipse caput omnium fortissimo
ferreorum pectorum magnete exemplo, die-
rum aliquot continenti studio rei divinæ ad
aras devotus cultor accedit, & accidit. (*Bonf.*
D. 4. l.5.) Amoris in virginem arrham consti-
tuo paucis: spolia de Stephano Vajvoda Mol-
davo parta Albæ Regiæ in templo Imperatri-
cis castrorum fortissimæ defixisse Matthiam.
Amoris testes, gratitudinis notas, novorum
triumphorum semina: dignius nullibi glo-
riatura, quàm cum gloriam sic suam trans-
ferret in superos. (*Ranzanus in Epitome; &*
Bonf. D.4. l.5.)

Paraphrasis.

A Matre ad filiam , à radice ad stirpem , à religione ad cœlitum venerationem. Et meritò. *A Jove principium cum tuba Mantuana , cujus omnia plena.* Si omnia, sanè principes , vel in hoc principes sint, necessè. *Princeps ignes velut inter luna minores , à sole hoc mutuatur splendorem ; luce privandus, cùm mutuari per cultum desierit.* Conjuncta cœlis est terra , sed nexu, quo subveniat necessariò cœlum , adjuvetur terra. *Necessitatis hujus, beneficentiæ illius argumentum jurge.* Vigent hæc , dum ab eo beata : *peritura enim Troja, perdidit primum Deos. (Arbit. satyr.)* vigent & Reges , dum ut regnent conceditur ; *ex Jove enim sunt reges.* Ut verò feliciter , gratiâ indulgetur ; *per me jactante Domino Reges regnant.* Rex in ararum , aræ in tutela sunt regum. *Sed S̄ super omnia præclara, que regnum habet , cultus divini corona regem exornat. (Agapetus.)* Hâc causâ factum existimo , cur tanta regibus Hungariæ fundandi superis delubra , viris collegia, Divis splendorum ardor fuerit , non verò, ut alijs, in Sibariticis, & Androgynos sumptus prodigere. *Arche-typon Stephanus Divus Anno Christi 900. Budæ Divis Petro Pauloque augustam Basilicam cum Monasterio. Archi-Episcopatus,*
ge-

geminos veluti polos, quibus cardo salutis verteretur Hungariæ: Episcopatus decem, Albæ Regiæ D. Virgini, Romæ Stephano Proto-Martyri, Monasterium cum templo S. Martini in monte Pannoniæ, Hierosolymis idem, Ravennæ Ecclesiam, cœnobium D. Petro ad vincula, Bizantij ædem sacram munificentiam erigens regiâ, dote amplâ bonorum adauctam, præter plurima alia; & hæc unus (*teste Baronio.*) Factum est, ut cæteri munificentiam haud admodum impares, regni ejusdem Atlantes fructu non dispari, religionem coluerint, & culti vicissim. Divus certè Ladislaus Varadinensem D. Virgini Ecclesiam, Canonicorumque ibidem collegium. Zagrabiæ Ecclesiam S. Stephani. Ludovicus Rex Albæ sacellum exstruens, tantaque in religiones templaque beneficentiâ, ut tertiâ tum parte regnum amplissimum aut religiosum, aut religionum esse censeretur. O felix tum, si unquam Pannonia! perdidisses forsan te hætenus, & perijsses, nisi sic perdidisses, & perijsses. *Lucrum enim certissimæ felicitatis, tantum tibi erat pietatis nomine fortunarum dispendium.* (*Tertull. apol. 39.*) Quæ sæcula te Ludovice, Nitriensi Ecclesiæ civitatem Nitriam donantem: Divæ Virgini in Cellis, eidem Aquisgrani sacra Pannonicæ pietatis monumenta per Ecclesias statuentem; tacebunt? quem

quem si cum cæteris taceant, ipsa saxa vel ruderæ prædicabunt. Hanc reor causam cur saggo par pietas, ac togæ. Quid enim, nonne fulmen illud hæreseos Ladislaus Divus ædem D. Martino partæ victoriæ causâ in Monyoro: eandem S. Salvatori Cunorum strato exercitu? nonne Andreas II. Damiatâ captâ, Mahometi delubrum velut Augiæ stabulum infano sumptu ædificatum, Basilicæ D. Virginis Junonis longè castissimæ metamorphosi tanto dignâ authore convertit? urbis ejusdem opulentissimæ spolia in Divinum erogans cultum. Nonne Bela IV. exactis belli turbinibus auxiliatricæ suæ ædem constituit, pietatis, an gratitudinis, utriusque certè argumentum. Nonne Joannes Corvinus ex hostium cæforum manubijs complura Jovi Feretrio templa constituit; ditavit, illustravit? quorum unum tanto ditissimum *Albæ Julię* corpore; verè *Albæ* quia candidi cæli Priami; *Julię*, quia *Julię* fortitudinis æmuli Mausolæum. Nonne Regum ea Hispanorum munificentia, ut si calculum in eas, 70. templorum millia è manubijs felicibus hostium constituta reperias, reddentibus authori suo divitias meritò, quas acceperunt. Unus Jacobus I. Rex Aragoniæ nonne *Immaculatus* vel eo felicitatis lacteo cursu, quòd mille *Immaculatæ* Virgini consecrârit. At ænne tanta sine fœnore dispendia? accipe

in cortice exiguo omnia : provinciæ, victoriæ, gloria munus erant amplissimum. Tringinta tribus vicibus congressus, triumphator audijt totidem. Munificentia hæc, ac religio cœlitum, machinæ fuere belli, & arietes omni adversariorum aheneo fortiores.

I modo vesane Cæsar Macrine, Galle verè æsopice ; respue Pij, Felicis elige titulum, Moriâ dignæ electionis tuæ pænas propediem mercature, dum obtruncatio tua infelicem te sine pietate ostendet. Felices contra quicunque pij. Magnus ille Persidis & orbis triumphator Macedo, anne unquam prælio congressus, nisi prius aut præcelso in monte, aut remotiore ab arbitris loco thura Dijs litaret ? & hæc eâ quidem abundantiâ junctâ frequentiæ, ut dignum censoriâ virgulâ Aristoteli moderatori sit visum prodigæ in Deos, non piæ opus liberalitatis. Quid factum ? victricibus labaris Arabiæ potitur Macedo, thuris parentibus terris, triremem prægnantem thure Moderatori submittit cum dicto : *eâ causâ felicibus avibus se thuris fecundas parentes subegisse, quòd thure pius antè superis exstitisset.* Bonum factum Belliducis, an Principis majoris nescio ; utinam hodiè que omnibus in æmulatione, cum temporum vitiorumque imperio cura major auferendi, quàm conferendi divitias Numinum cultui. Solusne hæc Macedo ? Et quando

quando non hostiarum cædes cædi præluserat
 hostium? quando veteribus inauspicatis Deo-
 rum pulvinaribus, lectisterniisque non positis
 authoratæ labaris legiones? sacra prius procu-
 rata; fibræ Thuscis, & exta consulta, ævi Ro-
 mani carbasus è libris Sybillinis consulta. Be-
 ne monuit ille: *ante tubam fer thura Jovi,*
fac vota Gradivo: fecit Matthias, & vel ide-
 gloriosus suis, formidandus hostico, laureis
 dives. Unus omnium instar pietatis laude
 non careat Ferdinandus III. Castellæ Rex,
 in quo nec titulum felicitatis desideres, dum ca-
 tholici obtinuit. Hic (*Mar. hist. hisp.*) Hi-
 spalim obsidens, ærarij pressus penuriâ, in
 continuanda obsidione laborare, audire sua-
 dentes, Ecclesiarum thesauris tantisper suble-
 vandum ærarium, neque tamen obaudire,
 quin respondere catholicè: *plus ego mihi de*
precibus, & sacrificijs Sacerdotum, quàm divi-
tijis eorundem polliceor. Macte animo illustris
 Rex, non modò pollicitis, quibus *dives quili-*
bet esse potest, sed & insequentis diei gloriosâ
 urbis deditioe dives eris & felix. Macte
 Rex verè magne! & *nimum dilecte Deo,* (*Claud.*
de 3. Conf. Hon.) gloriaberis Herculeis & majo-
 ribus Alcide Ducibus, quorum animi & gloriæ
 primum *plus ultra* dicetur trophæum, ubi exa-
 ratum ab eo, *non plus ultra*: gloriaberis Fer-
 dinando Consalvo, quem virum fortuna comi-

tata priorem, non dux, sed magnum fida secuta
 ducem: tum & Christophoro Columbo, stu-
 pendo incogniti orbis inventore, cui (Claud.
 de 3. Cons. Hon.) fudit ab antris Æolus armatas
 hyemes, cui militat æther, & conjurati veniunt
 ad classica venti. Gloriaberis tu his, Te Hispa-
 nia; quia imperij Hispanici principe Fundato-
 re, gloriæ pristinæ assertore, Lusitano Ca-
 stellæ regno depulso, exactâ Judæâ perfidiâ,
 strato imperio Maurico, Granatensi, Neapo-
 litano, Navarræ, regnis occupatis, domitis
 Atlantico mari Canarijs insulis: raptis barba-
 riæ Africæ Melillâ, Orano, Tabracâ, Tripoli-
 que, novis quin orbibus subactis vindice, pro-
 pugnatore, & propagatore, quia pio. Be-
 nè Ambrosius olim: *vincere parat, qui religio-
 nem vindicat.*

Dignis pietate præmijs affecti principes
 probi, dignis affecti detrimentis & raptores
 sacrilegi. (Mar. hist. hisp. l. 5. c. 3.) Rex fanum
 D. Vincentij, D. Isidori Regina Umea Legio-
 ne spoliare parantes in limine nefaria concidê-
 re funera. Eadem ferè fata Sanctio Arrago-
 nio, Joanni I. & Alphonso raptoribus the-
 saurorum sacrorum. Denique tantum tibi
 semper Princeps noxius es, quantum Ecclesiæ
 derogas. En verba in capitulis Caroli Ma-
 gni, Ludovici, & Lotharij Augustorum: *Novi-
 mus multa regna, & reges eorum propterea ceci-
 disse,*

disse, quia Ecclesias spoliaverunt, resq; earum vastaverunt, abstulerunt, abalienarunt, vel diripuerunt, Episcopisque & Sacerdotibus, atque, quod majus, Ecclesijs eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores exstiterunt: sed terga multi vulnerati, & plures interfecti, vertunt, regnaque & regiones, & quod pejus est, regna cœlestia perdiderunt. Sunt attamen ea nonnunquam regnorum, fuerêque discrimina, quibus avertendis, aut minuendis divinorum pariter thesaurorum auxilio, uti liceat, & oporteat. Concessum id 1468. Matthiæ Corvino Romani Præfulis Pauli II. beneficiâ Indultum pariter à Clemente VII. Papa Ludovico Regi Anno 1526. ante pugnam orbi Christiano desendam ad Mohács. (*Szent-Ivâni in memor. Hung. Catal. 78.*) Par beneficiâ Romanorum Pontificum in Hispaniâ Principes (*teste Marian. hist. hisp. l. 10. c. 2.*) Sic Sanctio Arragoniæ Regi à Gregorio VII. decimarum & redituum Ecclesiasticorum, Alphonso XI. etiam Cruciatæ facta potestas. Pontifici Sixto IV. visum est, ut Ecclesiastici 100. millia aureorum in bellum Granatense adjunctâ Cruciatâ penderent: quorum summa quem numerum & auxilium aliquando effecerit, ex uno metiri liceat; quòd Isabellæ Reginæ temporibus è sola cruciata bulla 90. milliones, ut

vocant, collecti sint; qui tamen non alio, quàm Apostolicæ ut par erat bullæ arbitrio sunt expensi; ut à quo fonte manârunt, aut ad eundem gratae, aut ejusdem ut minùs ad votum & imperium redirent. Manum jam de tabula, cum gratitudo ciet affinis.

2. III.

Religio in Fidei Religionis Antistites.

Quid jam de religionis tantæ jugi comite reverentia in religionis Antistites eloquar? Dicuntur Christianissimi alij, Catholici alij, Apostolicus iste, neque tamen diffidente nomini vitæ omine. En cotem geminam: summa pro potestate vix diademate insignitus Hungariæ Neo-Rex Anno mundi 5426. Christi 1464. Conv. Hung. 475. Regiminis 6. (coronari enim priùs, etsi solemnibus Regni Comitijis in Pestensi agro electus, in Regem non poterat; Coronâ ad Fridericum Cæsarem à Ladislai antecessoris Regis Matre clam ablatâ, perque vim & avaritiam retentâ, (Bonf. D. 4. Szent-Ivâni in Cronologia aliique) donec 60. aureorum millibus, & sic quidem ægrè admodum & summo discrimine redimeretur, ac quo casu injusta pro vera acciperetur à Legato Joanne Vitezio, qui tamen optimè
gna-

gnarus veram à falsis duabus veræ simillimis subdolæ electioni propositis, lynceis adamantem á vitro distinxerat oculis (certa enim veræ habebat coronæ indicia antè sibi comper- ta) æsopico Gallo longè dissimilis : princeps illi cura ab illustribus his Albæ Regiæ actis solemnibus, indicto Szegedinum conventu Oratores duos deligere, Joannem videlicet Quinque Ecclesiensem Antistitem; virum, *ut verbis utar Bonfinij*) utrâque linguâ eruditis- simum; Guarini Veronensis annis 17. disci- pulum illustrem aded, cui nemo Italorum ex- terorúmque tribus his lustris ingenio, facilita- te, felicitatéque litterarum suppar, quique sibi Reip. liber procellis, cum universa antiquita- te secundo Marte in arenam descendere, & triumphare potuisset; alterum Joannem Ros- gonium; Joannem Emum tertium, virum, ut bellicæ rei peritiâ, sic experienciâ Martis Tur- cici, periculorúmque peritissimum, testem- que oculatum, quos ad Paulum II. id temporis Romanæ Sedis, Ecclesiæque Antistitem suæ in eum ut Apostolicum Apostolici filij, membri- que parentem, ac caput testes, ac vades mit- teret. (*Bonf. D.4. l.1. Szent-Ivani in Cronolo- gia Hung. ad annum dictum.*)

Et verò quam observantiam se præstitu- rum recepit, ut exhibuerit opere, invertens nonnihil paræmiam veterem: *Regia crede mihi*

res est promittere multa, & servare fidem, en alterum indicem: causas inter, quæ Corvinum ad bellum hæresi Bohemiæ in Georgio Podebrachio grassanti indicendum compellerent, non minima sanè erat: Sacrosancti Collegij Romanæ videlicet authoritatis hortantis *observantia* (*Bonf. D.4. l.1.*) unica contrà ad inducias, pacémque cum Cæsare ineundam ruptâ etiam victoriarum felici messe, & laurearum crescentium. Anno námque Mundi 5442. Christi 1480. Convers, Hung. 491. Regni Matthiæ 22. Rege Zagrabiæ diversante fama malicùm nuntia volaret, Imperatorem Fridericum nova molientem pro animi sui inconstantia, 500. equites per Pruggensem agrum in superiore, inferiore hodie Hungariam dictam misisse, contemptis inducijs longè latèque licentiâ bellicâ hos populari provinciam, atque Jaurini ad mænia ferro omnia flammisque miscere. Matthias non inultum servans regio sub pectore vulnus, motis properè Zagrabiâ castris, quò minùs exspectatus, eò & terribilis hosti, amabilis subditis magis, Rackerspurgum, tum Mariæpurgum unius diei itinere dissitum oppidum arte potiùs, quàm naturâ munitissimum advenit. Urgebat continuo præsentia Turni obsidione arctâ, ænearúmque machinarum tempestate validissimum oppidanorum loci militúmque præsidium. Jámque

con-

continenti fulminum impetu eo res obsessorum vertebantur cardine, ut aditu haud difficili obsidentibus patefacto, deditioem non tam moliri, quàm discrimine ipso admaturare cogereentur. Cùm adest Asculanorum Præful Illustri Prosper Capharellus legationis Romanæ autoritate cõspiciuus, Imperatoris inconstantis crimen diluens, mitiores pacis, Romani Ecclesiæ Capitis nomine suadens, orãnsque oleas, Christianæ rei exitium hoc furore Bellonæ imminere contendens. Orat Legatus Regem invitum se à Legatis cæsareis que Oratoribus (aderant enim ijdem, pacem Cæsaris nomine petituri) ad pacis consilia revocari causantem, quando se cum legatis omnibus ab Imperatore falsum iri prorsus intelligat: oratum attamen, ne Pontificiæ autoritati aduersari videatur, quæ ad aras antehac, & fummo semper in pretio, confitentem propalam, plus Romano Pontifici, quàm Imperatori calido, ejusque Oratoribus se morem gesturum exorat. Gessit morem, at non servatis à Cæsare inducijs non vanus augur spe delusus conceptâ. (*Bonsf. D. 4. l. 6.*)

Paraphrasis.


Nihil affine superis magis in terra, ac divinæ potestatis vicaria: cui dum omnes, & Principes, ut superis subjiciantur oportet, ve-

lut minores. Arrogantia hîc probro, subje-
ctio sola datur decori. Membra capiti, Ge-
nitoribus liberi, Pastori oves subdi inficia-
tur nemo, cur Reges & potestates imperio,
sed Divino? aureè sanè aureus: (*de verb. If.*
Homil:4.) *alij sunt termini regni, alij termini*
Sacerdotij. Hoc regnum illò majus est. Si ma-
jor hæc principatûs potestas, & æqua in om-
nes; gloria est subesse Principibus, quibus
curæ data terrena, dum his cœlestia. Divi-
nâ teste pagina Judices & Sacerdotes rerum
quondam potiti; jura illi in subditos, hi &
in jura dictantes. Tueatur sacra Pontificum
gladius Principis; gladium verò moderetur
ac manum tiara Papalis. Estò sapientiâ, pie-
tatéque polleat Princeps; illustri à Basilio
Imperatore ad synodum generalem VIII. Act.
ro. cavetur, ne, ordinis sui memor, Eccle-
siasticis se interponat judex negotijs, quod
pastorum, non ovium munus sit. Si enim *vel*
scripturarum seriem divinarum, vel vetera re-
tractemus tempora, quis est, qui abnuat in causa
fidei Episcopos solere de Imperatoribus, non Im-
peratores de Episcopis judicare. (*Ambr. Epist, 22.*)
Ut meritò proximâ Augustum epistolâ sic al-
loquatur idem Mediolanensium fidus: (*Ep. 33.*)
Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea,
que divina sunt, imperiale aliquod jus habere,
Quid enim, quæ Flavianum quondam Dia-
lium,

Ium, Jovisque Pontificum Romanis, quæ
 Druidum in Gallijs, quæ infidelium hodiè-
 que Bonziorum vel à coronatis exhibetur au-
 thoritas, & reverentia, nihil attinet dicere.
 Horum esse pacem sancire, firmare fœdera,
 propitia reddere pulvinaria Deum, verbo le-
 gislatoribus vel nolentibus leges dictare. Hæc
 Ethnici: Christiani minus? quorum tantò
 major sit oportet religio, quantò clarior lu-
 men ac gloria est religionis. Exempla per-
 lustrem sacra, juxtà atquè profana? factum
 id ab orientis occidentisque Semideis, jugi
 propè ut diadematum, sic reverentiæ succes-
 sione, vel eò gloriante, quòd subesse liceat
 Romano Antistiti, alios porrò revereri. Quid
 Constantinos & Sylvestros Imperio? Step-
 hanos & Sylvestros Hungariâ; Theodosios &
 Ambrosios, Italiâ; Guilielmos & Bernardos
 Galliâ memorem? aliòsque, quorum prima
 cura post religionem, filialem in Romanum
 Pontificem observantiam commendare. Quid
 Ferdinandum III. catholicum non sine fœnore
 subditum, de quo *Genebrardus: Ferdinandus*
ipsemet voluit subesse inquisitioni, tunc Regna Gra-
natense, Neapolitanum, & Navarrense subegit.
 Divina nempe sui subjectio, humanam genuit
 subjectionem. Quid contrà de alijs dicam,
 qui vel negatæ observantiæ debitæ, vel viola-
 torum jurium causâ prima sui, regnorumque

ruinæ & interitûs causâ? Tentavit Rex Wi-
 tiza non obaudire Romano oraculo, libertas
 cultûs, vitiorum licentia, seditiones, dum do-
 maretur, inundavêre Hispaniam. Ausus
 præterlapso idem sæculo Henricus VIII. An-
 gliæ, & quæ non malorum congeries hac à
 scaturigine? hodierna Anglicæ fidei utinam
 non affatim testarentur zizania. Involavêre
 in jura Ecclesiæ Marciani, Childerici, Juliani,
 Valentiniani, Berengarij, Caroli denique Mar-
 telli Galliæ Reges, nemo tamen liber, vin-
 dice DEI dexterâ suorum causam tuente (*ut*
testatur Eminentissimus Card. Baronius Tom. 6. 7.
8. § 10. Annal.) Berengarius námque Italiæ
 Rex, ablatâ Episcopatus Novariensî Insulâ S.
 Julij, se suoque privatus imperio (*Bar. l. 10.*
Annal. Anno c. 962.) Childericus villâ, aut a-
 gello Aquensi rapto Ecclesiæ, continentem
 acutissimamque anni mortem, tum æternam
 nundinatus ruinam. (*Gregor. Turon. de glor.*
confess. c. 71.) Julianus denique Apostatæ Ju-
 liani avus, sacrorum è templo Antiocheno ra-
 ptor vasorum, diro repente morbo correptus,
 putrefactis visceribus, ulceribus toto corpore
 lividus, vermibus vivum ac mortuum depa-
 scentibus perditus. (*Trip. hist. l. 6. c. 31.*) Di-
 gnam enimverò tanto scelere remuneratio-
 nem. Pedem refero à cæteris, id unum Mat-
 thiæ observantis, & vel ideo felicitis exemplo
 addo:

addo : gloria Ecclesiæ est tutela Regum ; vitæ Regum perindè ac Regnorum ; observantia Ecclesiæ. Submissio regia Papali sublimatur auctoritate ; ut quæ sceptrum pro merito , ut quondam in Divo Stephano Hungariæ largitur : demerito , ut quondam Bohemiæ in Georg. Podebrachio adimit. Papalis regiâ potestate munitur. Gloriare Princeps alienis , patriisque te liberum legibus , quia humanis ; gloriare te subditum Romanis , non quia Romanis , sed quia per Romam divinis , quia volens & tuo commodo , & Reip. emolumento : dum tripus tibi tuisque semper præstò recta credendi , sentiendi , vivendi.



COLUMNNA II. SAPIENTIA.

Virtutem aggredior alteram , columnnam alteram , quæ cum religione fundamentum , basis , gloria est Imperiorum. Litterarum nempe amor , & comes litteratorum. Hic enim verò amor sapientiæ parens ; quæ quia Matthiæ tanta , tantus & ille ; ut ab eo , Regno ; non illi , ut fere fit , à Regno gloria accesserit. Quod suæ Alphonfus Hesperix , suæ quondam Cæsar Gallix , Octavianus Ro-

mæ , Germanico Ferdinandus Imperio , hoc
 Corvinus erat Hungariæ. Longiori fanè vi-
 tã dignissimus , eo si digna Pannonia. Nun-
 quam cum Severo nasci , aut tolli debuit nun-
 quam. Hoc uno vitiosus , quod è lege mor-
 tuus unquam. Iter Matthiæ Regi susceptum
 ponè Strigonium clarissimum Hungariæ in ri-
 pis Danubij , 30. passuum millibus Budã se-
 cundo Istro defluendo dissitum oppidum ,
 cum arce quondam , tum collis robore , tum
 pulchritudine certante. Regum hæc olim
 domus , cum ejus magnificentiæ templo , ut
 solùm porphyreis stratum lapidibus , vasis au-
 reis , argenteisque , cæteraque sacerdotalis
 supellectilis copiã & splendore nulli secunda ,
 tum etiam Archi-Episcopatu opulentissimo ,
 quippè secundã temporum malaciã quondam
 100. aureorum millibus fœcundo , gaudens.
 Advena hîc loci Matthias Phœnix ingeniorum
 apud Archi-Præsulem virum ut litteris excul-
 tissimum , ita litteratorem stipatum agmine
 diversari. Adest hos inter pavo quidam scien-
 tiarum , fastu Junonio suppar omnibus , cessu-
 rus nemini , omnia se Theologiæ cæterarum-
 que scientiarum vincula gordia meridiano cla-
 rius cognoscere , solvere , enodare jactitans.
 Regis sapientiã terris omnibus celebratã ac-
 census , cum primis verò intelligens à Galeo-
 to , viro pariter secundã Minervã uso semper.

Mat-

Matthiam solertis ingenij, linguæ limatæ vel doctissimos, quosque sibi deposcere, ænigmata statuere, sicque arguere, vexaræque ingenia solitum, ut feliciori natate censendus sit cortice, cui retia argumentorum, & laqueos vitare concedatur. Erat is Joannes Gattus, ficulus originæ, scientiâ Theologus; ordine Divi Dominici, instituto vitæ Thraso sui. Matthiæ certare ardet, occasionem aucupatur. Favet fortuna votis præcocibus ostentandæ doctrinæ. Nullibi enim laus major, ac ubi discrimen; majus hoc nullibi, quàm cum æquo Marte certatur. Paratur cœna regia, accumbitur, refertur adesse Joannem Gattum virum eruditissimum, evocatur à Rege inter mensalia sapientis disceptationis avidissimo, recumbit cum cætero sapientum confessu. Litatum fami primùm sitique sumptu dignitati compari; vinorum, Hungaris, ut Galieno quondam Romanorum Cæsari in more positum, varietas domestica Gatto movere cellulas, audaciam addere congregiendi, & triumphandi. Laudat sua facundus, doctrinam ostentat, lyncem se Theologiæ esse, mysteria & notæ sibi aurorâ clariora cuncta, periculi aleam non formidare. Rex callidus Theologicæ carinæ haud rudis, utpote quibus non nisi Olympi ardua, vulgo invia, pateant è Thomæ Scotique sententia; Joannem alloquitur,

dubitationem simulans, responsum quaesitum diu, acquisitum à nemine unquam praetextens, praestolari. *Dubitavi, inquit, diu, cur Christus DEUS & homo omnia justè sapienterque faciens, in nonnullis visus sit minimè servare justitiam; justitia namque pro meritis praeium tribuit. Nam dare merenti obolum: aurebsque merenti obolum tribuere, quis dubitet, aequitatem non esse servatam? Christum autem sic fecisse, Evangelia videntur ostendere. Nam cum Petrum & Joannem inter ceteros Apostolos haberet dilectos, eorum merita non aequà lance pensavit. Petrum enim desertorem, & abnegatorem, dejerantemque Christi non habuisse notitiam, maximà Pontificatùs dignitate ornavit: & Joannem ad mortem usque Christi perseverantem nullo tumultu, nullo metu mortis, nullisque periculis ab eo divulsam, inhonoratum, inglorium reliquit; nam ut de me loquar, si duos haberem familiares, & in pugna praeliorumque principio alter fugeret; alter verò ad extrema usque permanens me dimitteret nunquam, fugacem illum ac desertorem infamià, & forsitan cruciatu prosequerer; remanentem verò, mecumque in omni periculo persistentem, praeijs, & honore ornarem, omnibus ut reor hoc approbaretur. Nam si fugaci honor tribueretur, pugnaci verò & fido nulla sit gloria, quis non videt virtutem suo praeio fraudari, & ignavia fomenta praebere? Ciceronis dictum hoc esse,*
à pre-

à præceptoribus accepi; honos alit artes, omnes-
 que accendit ad studia, gloria. Quid igitur aliud
 est Petrum Pontificatu ornare, Joanne neglecto,
 nisi discipulos admonere, ut fugiant persecutiones,
 vitentque tormenta, nullos sustineant cruciatus,
 sed statim fugiant, Christumque abnegent. (Hæc
 Rex) sacrum inter & saxum hæerere continuò
 siculus, tentare remos, sed in vado hæerere.
 Tum iniquum verti cardinem cernens, tentan-
 dum fretum hoc nemini mortalium, ut mu-
 sculo natandi ignaro. Adorandam, non scru-
 tandam rationem divinorum. Rationem id
 faciendi fuisse in Christo, at nostræ inviam im-
 becillitati, vitio mortalitatis, non justitiæ
 Divinæ. Excedere quæstionem hanc Theo-
 logorum ingenia, cur huic magis, à alteri di-
 vina faverit bilanx honore. Tritum à nemi-
 ne, ut plurimi fuerint ætate nostrâ scrutato-
 res paginæ sacræ, absque periculo callem
 hunc; adita aditorum soli Domino reservari
 Christo. Rogare proinde Regem, inscruta-
 bilia poneret, ne scrutando nimium veritatem
 perderet, quam inquirat, & possidet. Novit
 coronatus Cyneas vias anguillæ subdolæ, &
 prævertit dicens: non divina hæc sodes theo-
 loge abdita, quorum ratio evidens nulla, sed
 moralia, & perito facilia intellectu. Fugam
 meditatur rursus Eucrates reponens italus:
 nolim equidem cancellos theologiæ meæ
 præ-

præscribi. Nemo temerarius aded, qui se parem mihi, vel æmulum. Nihil enim (sic reor) hac in abyſſo mihi celatum. Bibliothecas hœlluo depaſtus ſum omnes, nullibi hujus Gordij Alexander. Cui Matthias? Pauci mihi pro inſtituto (Rex enim ſum) theologi ad calcem evoluti, aut cæteræ facultates. Militaris mihi, ut à prætexta prima inter clypeos agenti litterarum parta cognitio; pauca delibavi ut apis, at gordij hujus Alexandrum me fateor. Interrumpit ſermonem regium Italus: nusquam id eſſe aſſerens. At Rex: eja tomum Hieronymi contra Jovinianum: aſſertur, quæritur, legitur in hanc ſententiam: propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio; ſed cur non Joannes electus, quia virgo eſt; etati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens & pene puer progreſſæ etatis hominibus anteferretur, & ne Magiſter bonus, qui cauſam jurgij debuerat auferre diſcipulis, dixerat illis: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; & qui voluerit inter vos major eſſe, minimus ſit omnium: in adoleſcentem, quem dilexerat, cauſam præberet invidia. Ut autem ſciamus Joannem fuiſſe tunc puerum, maniſeſtiſſimè docent Eccleſiæ hiſtoriæ, qui uſquè ad Trajani imperium vixerit, id eſt poſt paſſionem Domini 68. anno dormierit, quod & nos in libro de illuſtribus

viris

viris perstrinximus. (Hieronymus hæc) his Rex
 rationem alteram addens : nam Petrus carnis
 blandimenta, mortalemque fragilitatem expertus,
 peccantes (Magistri sui exemplo veniam lacry-
 manti sibi facile indulgentis) veniam facili donaret;
 Virgo contra Joannes, libidinum expertus, aheneus
 Christi affecla, cunctos sibi pares habere cupiens,
 divinam reos severitate multaret, quin libidinis reos
 arceret à gratia, existimans non imbecillitate mor-
 tali, sed nequitiâ delinquentes, hypocriticas doloris
 indices cedere lacrymas. Summâ proinde factura
 ratione, ut Petrus Joanni in Pontificatu prela-
 tatus. Habes Gatte, quod intelligas. Dixit,
 & cristas pedibus visis Gattus ponere, sapien-
 tiam se majorem mirari, non congressurum
 polliceri postliminio, quin spectet, quid hu-
 meri ferant (Galeotus c. 31.) En indicem sa-
 pientiam primum : habe secundum. Appu-
 lere oratores regis Poloniæ Vissegradum, Bu-
 dâ haud longè distitum oppidum, in quo ædes
 se dignas architectis quibusque certans Mat-
 thias summo erexit ingenio, & magnificè ab
 alijs erectas ornavit, & ut sapientissimo locu-
 turi Regi, summo pariter comparati studio
 linguâ patriâ (consultò enim commissa sibi ab
 alijs, præterquam à rege nolebant intelligi)
 duas æquinoctiales horas orando exegere.
 Audito verborum flumine, percontatur : quâ
 liberet linguâ oratoribus responsa capessere ?

patriâ an latiâ ? in arbitrium Regis id rejicientibus ijs, exorsus tum Rex: revocare cuncta à carceribus ad metas; adeoque ex asse, ut indigesta à paratis dicta, in ordinem imparatus digesta retulerit, cum respondit. Stupuere ordinem, amplius confutationem, ea referentem audientes, quæ regi minimè succurrere posse arbitrabantur. Unum quod principio ab oratoribus dictum: *malè videlicet fecisse Regem Matthiam, cum Episcopos Poloniae adversus Regem concitaverit, arèque juverit, non enim boni id esse exempli, in Regem et Principes populos subditosque ciere*: cum ad terminum consultò rejiceret Rex, triumphare clam præ omni Roscio oratores, subterfugientes tragulam, ut cujus ictus eludi non posset: at triumphum continuò turbare Matthias subterfugens, tum subridendo reponens: *renuntiate Regi vestro hoc, quod fortassis suspicabamini oblivione omissum. Honestus est error magnos duces sequentibus; ut à præceptoribus meis accepi, & aliquando legi: nemo enim discipulum criminabitur, qui suum imitatur præceptorem; juniores senioribus parere debent, hisque uti Magistris. Junior ego seniore Poloniæ Regem, ut Magistrum secutus hac in re sum, ita ut discipulus in præceptorem arma retorsissem. Poloniæ enim Rex Prælatos potentissimos Regni mei non modò adversum me animavit, sed maximo juvit exercitu.* Audiere

dière oratores, & purpurâ plus regiâ rubuère,
 veritate causante ruborem. Sat sapienti ge-
 minum sapientiæ coronatæ specimen. Ad
 originem flecto causâque luminis tanti lit-
 terarum amorem, quo sine, lucerna sine face
 Princeps. Has sibi, ut curas nonnunquam
 graviores temperaturus, compararet, cum
 sumptibus Attalicis ambulacrum Sigismundi
 totam ferè arcem ambiens, æternitatique sa-
 cratum prosequeretur, retractius sibi lucu-
 bratorium, graphiariûmque locum extruere
 primis in curis habuit, quo gesta regia regi-
 us pariter (quo nemo, ut Cæsaris quondam
 dignior) ornaret calamus, ævôque transcri-
 beret. (*Bonf. D. 4. l. 7.*) In hoc ea scientia-
 rum eruditionisque parta encyclopedia, ut
 præter eloquentiam mitem & facundam, A-
 strologiæ placita; Platonici Apuleji dogma-
 ta uno hauserit ciatho, (*Galeotus c. 10.*) lin-
 guâsque non universæ modò Europæ pro-
 prias, verùm Asiæ quoque, Turcicam nempe,
 Græcâque calleret ex asse: ac proinde pa-
 trios Hungaros, Germanos, Italos, Bulga-
 ros, Bohemos, Polonos, Ruthenos, Dalma-
 tas, Curetes, Servianos, Brencos, Roxolanos,
 Sclavos, aliôsque permultos sine interprete
 exciperet; memoriâ nec Mithridati, nec Sci-
 pioni, nec Simonidi Cyrôve cesserit, ut qui
 militum suorum nomina singulorum cogno-
 sce-

fceret. (*Gal. c. 10. § 28. Bonf. D. 4. l. 8.*) ut in
 plurimis quas peregre mittebat epistolis, aut
 dictandis, aut suo exarandis calamo veterum
 recentiorumque librorum æmularetur auto-
 grapha, (*Gal. c. 28.*) eæque lucernam olerent
 omnes, myrothecium Isocraticum consume-
 rent nunquam; ut super Joco-feria mensa-
 lium deliria aulis ferè consueta salem nun-
 quam sapientiæ desiderari sit passus, assiduis
 disputationibus jucunda temperantibus, & ex-
 cipientibus; (*Gal. c. 17.*) ut quàm maximis
 arderet sapientiæ exhibendæ stimulis, cum ce-
 lebrarentur à nonnullis vetustissimi duces, qui-
 bus honorificum inter sese dimicare est judi-
 catum, teste Livio: *Brutus Consul & Aruntus*
filius regis Tarquinij, cum essent diversarum par-
tium duces. Aruntus concitabat calcaribus equum,
atque in ipsum infestus consulem dirigit, sensit in
se iri Brutus, decorum erat tunc ipsis capessere pu-
gnam ducibus. Avidè itaque se certamini offert,
adeoque infestis armis concurrerunt, neuter dum
hostem vulneraret sui protegendi corporis memor,
ut contrario ictu per parmam uterque transfixus
duabus hærentes hastis moribundi ex æquis lapsi
sint. Hæc cum audiret, ut suspirans redde-
ret Rex: utinam & nunc hæc esset consuetudo,
ut ducum pugna magnanimos & fortes principes
indicaret! aperiretque nonnullorum ignaviam,
qui otioso, & sedendo, non pugnando virtu-

tem extollunt bellicam, cognosceremus profecti sapientidne, an ignaviâ, in cellis latitent plerique, quos imperitum vulgus extollit. Ut denique præter fundatum illustrissimum scientiarum Palladium Budæ; ponè lucubratorium suum Bibliothecas eas erexerit, quas videre & mirari eâ tempestate permulti, pares ei nullas potuerint; & à qua Budæ, Regi, Regno, gloria non modica accesserat; cùm in ea thesauri è Constantinopolitano librorum gazophylacio summis comparati conditique impendijs, eheu fatorum injuriâ in eandem voraginem relapsuri. Verba viri magni accipite (Gal. c.9.) Quà itur ad sacellum Divi Joannis, due sunt ædes concameratae. Altera voluminibus græcis, partim è medio Græciæ, partim ex alijs orientis regionibus, per Regum non minorem curam, quàm laborem eò congestis, referta erat. Altera interior continebat codices totius linguæ latinæ, à primis rudimentis ad artem usque scientiarum, per capsulas & loculamenta, ordine quòsque suo distinctos. Tegebat horum quodlibet velum sericeum coloribus auròque variegatum, cum indice disciplinæ, & professionis, in quas libri erant discreti. Tum addit: audi vi à Majoribus, Matthiam Regem, dum viveret aluisse semper ad 300. servos amanuenses pingendi peritos, quorum ego pleròsque mortuo illo noveram. Horum erant operâ ferè omnes græci & latini codices conscripti.

Præ-

Præter has & aliæ erant duæ Bibliothecæ , in locis diversis arcis , sed prioribus inferiores. (Nicol. Olahus in Manuscriptis.) Hæc tantus de tanto sapientiæ alumno , cui eruditior ætas non minùs , ac suo quondam Aristidi Græcia , columnam debeat gratitudinis ergò.

Neque tamen aut sapientiæ stadijs adeo deditus , quin stas Reip. curis pro munere , aut Bellonæ pro ardore , aut vitulæ Deæ animi causâ litaret. Unde non levis ei cura palatia ædificare Romanis haud admodum differentia luxu , in quibus laxa triclinia , superbissima conclavia , laquearia varia ubiq; , atq; aurata , multâ insignium varietate distincta , argenteis item lectis cathedrîsq; instructa : tessellatis ubiq; , pavimentis ac vermiculatis , calidis passim frigidisq; cubiculis thermis scatentibus. Alterum superbâ vetustate conspicuum restaurare visum est , geminis tumidum scalis porphyrinis , æneisq; candelabris ; cui super structæ eodem è lapide januæ geminæ , exornantibus has non à tergo minùs , ac fronte postibus æneis Herculeos mentientibus labores , quibus illud Bîlbilis addidit recentior :

Atria cum statuis ductis ex ære, foresq;

Corvini referunt principis ingenium.

Matthiam partos tot post ex hoste triumphos;

Virtus , æs, marmor, scripta perire vetant.

Contignationes alibi infani sumptûs destinans

nans, quibus laquearia aurigantes per æthera
 planetas continerent, erratilesq; cursus miro
 aspectu referrent. Ut nihil dicam de amænissi-
 mis Lucullanis areis regio graphiario subjectis,
 villaque marmorea, cujus propylæum colum-
 nis tesselatis circumdatum, æneisq; sustenta-
 tum candelabris. Nihil de porticu augusta,
 labyrinthoque hortensi; aviarijs è peregrinis
 nostratibusque alitibus, quas ferrea reticulo-
 rum coërcebat necessitas: recreabat contrà
 svavis, ut ut definita arborum, fructifera-
 rum arborum nemorisq;, xystorumq; per or-
 dine in digestorum metis libertas. Pratis item
 atque piscinis, turribus, cænaculo, & pergulis
 obductis, in quibus cænationes cum vitreis
 specularibus usque adedò jucundæ, ut nihil pu-
 tes amænitis, argentatis contacta tegulis om-
 nia. Nihil de tribus Tusculanis amænita-
 tis dexterrimæ: quorum primum in agro Pe-
 stano ad primum ab urbe lapidem, secun-
 dum in agro Budensi, tertium ad tertium pa-
 riter lapidem, quo sylvestrium cicurum-
 que ferarum amplissima spectabantur viva-
 ria. Nihil de ijs, quæ Vissegradi magnifi-
 centiâ condidit ad exhilarandum, apparatu at-
 talico triclinijs, ambulacris fenestrisque tecto-
 rio candidissimis opere, hortis fontibusque
 pensilibus porphyreo marmore, æneoque so-
 lio cultis. Nihil denique, quæ alibi locorum

ut

ut Tatae, Comaromij, caeterisque ad dignam regio animo remissionem construxerat. (*Bonf. D. 4. lib. 7. Szentivani in memorab. ex Nicol. Olah:*) Habes ergo sic intentum omnibus, ut singula non negligeret: singulis sic se se commodantem, ut universis se dare pariter censeretur, verbo: verè sapientem.

Litterarum amor cujus principis infedit animo, ventum habet in pectore, nondum flammam, qui amor est litteratorum. Utérque par in Matthia, quia comes individuus. Antonium certò Bonfinium Asculanum civem, Livium illum Pannoniæ, Corvinæ gloriæ & nominis famâ succensum, Rhetiámque tendentem, cum varia ingenij partûs deferret specimina; legensque eadem in castris Rex è tabula, cognôset felicioris Palladis Ganimedem; accitum subinde in Procerum Senatus-Consulto laudibus ornatum orantémque audijt; reditum postulantem vetuit: neque parvo Picentinum pariter Rhetorem conducens pretio, utrumque conversationis suæ causâ castra sequi jubens, doctis intentum lucubrationibus, datâ pariter operæ locandæ materiâ mansuetæ, dum ipse ægide tectæ Palladi sacrificaret. (*Bonf. D. 4. lib. 7.*) Accedit viros quaque arte præstantissimos ab eo undique disquisitos, conductos Astronomos, Medicos, Mathematicos, Juris-consultósque delectos: (*idem ibidem*

bidem) & quanquam nihil aut parum admodum astris sapientum è lege credendum, neque horum tamen cognoscendorum expertem fuisse, compertum est Matthiam, quorum causâ ne Magos quidem, Nicromantésque aspersionatus; eorúmque è legibus nihil non auspiciatus. Probè gnarus, nihil contigisse mortali, quod sibi evenire non valeat. Quemadmodum & præsignata astris fata Matthiæ, seu tristitia, seu prospera: ut cùm An. Mundi 5447. Chr. 1485. Christianæ Hungar. 496. Regiminis Corvini 27. XVI. Kalend. Aprilis eclipsis ea Viennam terruerat, ut complures eo die stellæ fulgentes conspiciantur, quibus indicaretur, amittendam à Cæsare anno eo Viennam, cum maxima Imperatorij patrimonij parte à Corvino adempta. Rursum verò insolitus anno insequente captâ Viennâ, non longi Matthiæ gubernij, vitæque interitûs, prodromus terræ motus extiterat. (*Bonf. D. 4. lib. 6.*) Magnis adhæc invitatos muneribus Poëtas, Rhetores, Grammaticos, (*Bonf. D. 4 lib. 7.*) Theologos, Philosophos, Medicos, & horum quidem nonnullos largis congiarijs fretos, alios liberali voluntate Regi obsequentes refert Galeotus c.10. utpote quos longè plurimos fama clarescens Matthiæ, varietate bellorum, multitudine laurearum, magnitudine gestorum totius Europæ Principes antecurrentis, ad

hæc summa cum humanitate benignitas, eruditio plurima, eloquentia mitis & facunda, lingvarum denique pellexit cognitio in convictum, obsequium, admirationem, amorem. In civitatum porrò montanarum visitatione, ubi educendi è fodinis metallici auri & argenti, molliendi item conflandique modus, ijs, quibus videre antè non licuit, admirationem ciet: cum primis verò civitate Schemnicij, justitiâ, fide in Regem, constantiâ, opibus, auctoritate, gloriâ, & dignitate celebri, gloriam nativam litterario gymnasio, rectore D. Thomâ Fabri Pannonio, viro undequaque clarissimo sublimârit & auxerit anno Christi 1478. Pene prodigum & profusum in litteratos litterati Regis amorem è munificentia in Galeotum, amore, curâque ejusdem peculiari, tum denique Joannis Vitesij conjice. Recepto Pannoniæ more Kalendis Januarij liberalitatis regiæ, *strenam* vocant, tesseram universa præstolatur aula, adsunt hiru- dines pretiosæ ærarij suis quæque distinctæ insignibus muneris, officij, conditionis. Suus pincernæ calix, tubicini tuba, amanuensi calamus vel eò fænerator, quia hoc die Regi exhibitus index. Amplissimè donati omnes hi sorices, hos inter aderat Galeotus Martius, non donorum quidem recipiendorum, sed facetijs exhilarandorum causâ. At Rex huic
adeo

adeò extra orbitam non sapientiæ, sed moris currenti: tunc unus à tramite deflectere, tuique non meminisse muneris, meum non præstolari affectum? cui Galeotus: nulla mihi instrumenta coram. Quin, contrà Rex ait, instrumenta tua libri, nostræ ornamenta Bibliothecæ. Hæc proinde innuit Galeotus filio, librum de homine & de incognitis vulgo. Adfertur testis scientiæ hujus, amoris in scientias regij, dum illico Corvinus hæc ferè: cocis, stabularijs, cæterisque quòd data à me munera, non animi iudicio, sed consuetudine factum patriæ existima; servanda hæc, non colenda: te verò non consuetudine patriæ, at iudicio animi à me donari intellige. Unà auri argentique eo pondere Galeotum remuneratur, ut unus omnibus nihil tale aut ominatus, aut sperans anteiret. Quo factò & doctrinæ consultum præstantiæ, & regia palàm sapientia proposita, æquâ lance pensans dona consuetudine & merito dari solita, quorum alterum cum brutis, cum diis alterum mortali commune (*Gal. c. 24.*) Joannem verò Vitesium privatis offensionibus causisque sibi invisum (perduellibus namque Joanni Archi-Episcopo Strigoniensi, & Joanni Quinque-Ecclesiensi affinitate conjungebatur) eò duntaxat gratiæ favori que restituit regio, quòd Joanni Galeoto causam suam Ro-

manum ad tribunal agenti omni contentione & studio adesset, subveniret commodis, & causam pro dignitate, & facultate strenuè propugnaret, dum triumphâisset de æmulis, veritate in meridiem se explicante. Quin reducem eundem omni comitate recipiens; illustrissimis legationum in Franciam, Austriamque applicuerit muneribus; reversus rursus amplissimo Sirmiensis Episcopatus munere locupletârit, fide datâ, veteris se nunquam odij memorem fore. (*idem c. 27.*) Litteratorum quæ cura viventium, idem Galeotus exemplo declarat. In maxima bellorum hostiùmque mole versante Matthiâ Badenæ Austriæ oppido, nomen à thermis sortiente, impetrato favore regio cum patriam revivere videretur consultiùs, quàm ea in hominum multitudine, ac varietate (Rasciani namque, Turci, Bohemi, Poloni, Germanique intererant) eo in periculorum & discriminum æmulorum domi, latrociniis foris imminentiis Eurippo versari: curæ sibi futurum Galeotum Rex spondet, quin & currus, & comitatus, & æris sibi dandam copiam, dumque in Hungaria fuerit, quid eo fieri velit se scripturum recepit, & præstitit. Ut non mirum jam neminem quemdam è litteratorum subsellijs digitum tollere, aut linguam ausum acuere, adeò potente regiâ nempe fultum sapientiâ

ser.

servante, & protegente. (*idem c. 8.*) Par sapientum Charontem petentium ardor ac studium: unus esto pro millibus, Joānes Quinque-Ecclesiensis Antistes, quem si Reip. inmergi fluctibus non contigisset, universæ bellum antiquitati latix indicere potuisse ipsum censebat Latium, si fides Bonfinio: hic admissi in Regem criminis (seditionis namque tributorum causâ inter summa Ecclesiæ Pannonicæ capita exorsæ, atque in eandem conjurationem attracti è fratre nepotis, Majestatis adcirco læsæ) reus, Zagrabiam, ut facilius fugâ sibi quæsitus confuleret, petijt; portumque non adeo inquietis & præliorum, ac vitæ sibi constituit, aut constitutum invenit. Vincebat sacri in Antistitem suum Collegij ardor & studium metum suspicionis. Irâ Regis in Reip. hostem omne pietatis officiû vetante è regni legû præscripto, clam omnibus corpus Quinque-Ecclesiensi illatum Basilicæ, privatôq; longum retentum sarcophago. Invisit longo post tempore eandem Matthias basilicam, supplex sibi cernit Collegium, ut Joānis Vatis dextimâ semper ludentis camænâ corpus insepultum dudum servatum (quod regiæ datum justæque indignationi) debitis sepulturæ inferijs pateretur decorari, justæque non de universo minùs Palladio, ac Ecclesia optimè merito reddi, Quid hic Matthias in violatæ Majestatis

atque suæ æmulum ? egit, quod sapientem sapienti decuit. Indoluit viri tanti casum, falsam opinionem, ac metum, nunquam sapientibus hispidum increpuit, tum ne funebribus Pannonius hic Orpheus careret exequijs, funereos longè amplissimos fieri apparatus edixit anno salutis 1472, ut vel sic in morientis honore, viventis sapientia Regis moritura nunquam viveret, & honoraretur (*Bonfin: Dec. 4. lib. 3.*)

Paraphrasis.

Diadema Principum scientiæ Cassiodoro (*lib. 1. var. Ep.*) Eximium sanè, & supra pretium omne, quia ab his sapientia, quam ego ut è providentia veterum genitam regiam Majestatis tesseram appello. Et merito, quid enim Rex regno ? nisi quod caput membris, in quo præ cæteris mens. Adamo brutis præfuturo quanta sapientia domestica ? quanta ergo necessaria Principi homines moderaturoro, de quibus Xenophon: *omni animali facilius imperabis, quàm homini, ideo sapientissimum esse oportet, qui homines regere velit.* Cur ? quia tam varium ac multiplex animal nullum, ac homo, quem regere ars artium, scientia scientiarum Gregorio Nazianzeno. Multarum opus virtutum suffragio ad unum se moderandum, ad multos moderandos una uni sapi-

sapientia menti satis est; si modo quanto minor omnibus unus numero, tantum major omnibus sit sapientiâ; qua finè nec Rex quidem dicendus, ut qui regit in ruinâ. Væ regno, cujus Rex puer, minatur divina pagina. Quid finè sapientia caput? ac ætatis primulæ imago? Ut meritò orientales Reges Salomoni cœvi sapiendi studio certantes, Salomonem adire ut tripodem, itinera longa conficere, nullum non movere lapidem dignum duxerint, dum auream illam ex Alphonsi depromptam ærario gemmam sibi desponderint. Meritò & natura sapientissimos suos inter deligere certet. Ut leonem: inter feras cubantem, & excubantem, dormientem necessitate, vigilantem apertis oculis sapientiâ. Delphinum regem æquorum, in ipsa inquietum quiete. Aquilam dominam ætheris pertinaci obtutu observantiam generis periclitantem. Nōne & Plato edixerit divinus divinè: *cum gentis aliqujus bona vult DEUS, ponit in ejus regibus sapientiam, aut regnum in ejus sapientibus.* At sapientia quo ære venalis? certum eam accipi, inveniri, comparari: accipi è cœlo, comparari studio, experienciâ inveniri: imò omnia tria simul sapientum usu ac litterarum. Sunt fateor, cum (Ep. 10.) Romano loquor philosopho, *omnibus à natura fundamēta & semina virtutis indita, at perficienda sunt doctrinâ, quæ*

cum irritator accesserit bona animi velut sopita excitantur. In hac invenit Princeps, unde fiat sapientior; subditos æqualitate disponat; bellator, unde virtute roboret animum; omnes ut in aurifodina omnia. Interrogatus Alphonfus Arragoniæ, & Neapolis Rex (*Panorm. lib. 4.*) cur domi, militiæque sine libris esset nunquam? malle se regnorum omnium jacturam, quàm minimam doctrinæ, chariorésque sibi diademate litteras esse affirmavit. Regia! sed quàm atro similis olori hæc avis. Eant nunc, quibus sedet animo, non dico cum Licinio Imperatore? illo Athenæorum basilisco, scientias pestem publicam, Philosophos verò, & Oratores Reip. venenum appellare. Aut cum Gothicis Regis Athalarici Matri vitio dare, quòd filium optimis quibusque excoleret artibus, ut minùs vel eò publicis commodis aptum futurum. Et audiant pugnantem sibi Vegetium (*lib. 1. de re milit.*) *Nullus est, quem oportet vel plura, vel meliora scire, quàm Principem, cujus doctrina potest omnibus prodesse subjectis.* Audiant cucurbitæ ejusmodi Senecam (*Epist. ad Pollionem*) *Etsi magis refert nostrâ fortiores fieri, quàm doctiores, tamen alterum sine altero non fit. Non enim aliunde animo robur venit, quàm à bonis artibus.* Non ijs quidem mollibus, ut ait Belgicus Seneca Justus Lipsius, sed virili illâ Philosophiâ,

cui magnum illud Pellææ fortitudinis juxta ac ingenij lumen plurimum se debere confessum est, cum Plutarcho teste: *doctrinâ, quàm imperij magnitudine cæteris antestare se malle palam edixit.* Audiant denique triumphantes verbo, Alphonsum Arragonem, cum audiret ab Hispaniæ Rege dictum, non decere Principem litteris excoli, *voçem eam non hominis, sed bonis esse;* vitâ verò Augustos, Trajanos, Vespasianos, qui quia litterarum studiosissimi, dignos sanè imperio Cæsares, quia utroque & sapientiæ, & diadematis, quorum alterum altero fundatur, servatur, illustratur. Prototypon consule Salomonem; sapientiam in Principe potentiæ formidine alijs incutienda præstare edicit. *Rex sapiens stabilimentum populi.* (Sap. 6.) *Rex contra insipiens perdet populum suum* (Eccl. 10.) Conclamatum est Princeps aperto clausoq; Jani sacrario de te, de tuis, si ad sapientiæ per litteras Sideriten non adfrices animum; nam ut ajebat Princeps Germaniæ liberior: quid aliud est Princeps illitteratus, quàm asinus auro, gemmis coronatus, imò aureus, perditurus certò Remp. *Ne perdas, non desinat unquam tecum Græca loqui, tecum Romana vetustas.* (Claud. de 4. Honor. Consul.) At verò hac à Scylla in charybdim non vertenda prora continuo. Verum est id Æneæ Silvij dictū illustre: *scientias in homi-*

nibus plebejis argentum esse, in viris nobilibus aurum, in Principibus gemmas pretiosas: addo ego cum magno morum Antistite: virtutum conservatricem, individuum comitem, atque Vestalem virginem fomenta semper ad dentem, semper novo spiritu foventem, & faventem. Cave tamen & alterum infamem paribus propè Rerump. Regúmque naufragijs scopulum intemperantiam. Privatus hoc laborare vitio possit, cui cura solius, non Princeps, cui sui & omnium. Tantum sibi, quantum omnibus; sic omnibus, ut & sibi non desit, serviendum, prospiciendum. Illi- cium sint litteræ & graviorū curarum remissio; neque tamen aspernanda & ea; quæ Corvino in usu, venationis, aucupij, ædificiorum magnificentia. Quid enim expectandum de- mum à Principe, cui cornea semper fibra? Cæ- to semper, nunquam amœnior in scena Rosci- us, Tendenda arcûs fila, non dum rumpantur, sed dum necesse est. Homerus ipse securiùs nunquã deos vulnerare legitur, aut pugnan- tem sequitur Achillem, quàm cum ad cœnam promiserat. Plura Principem speciosa gra- vant pondera, *ut quem alia ex alijs cura fati- gat.* (Senec. Agam.) Cur hunc ergo plura non itidem recreent oblectamenta? Animo soluto aliquando, quod monet Seneca, re- misso nunquam. *Quandoquidem vires insti- get*

get, alâtque tempeſtiva quies; major poſt otia
virtus. Scipionem, & Lælium, Claudium Cæ-
 ſarem Latio, Dionyſium tyrannum Siciliâ,
 Amafim Regem Ægypto conſule, & digitum
 tolles in meam ſententiam.

Altera ſapientiæ regiæ baſis lingvarum eſt
 peritia. Quæ curæ Regi aded, ut hâc ſolâ
 Rex propè ſit. Harum namque *diverſitas*, ſi
 magno fides Africano (*de eſſent: div.*) ho-
 minem alienat ab homine, cum in ijs lingvis, quas
 non intelligimus ſurdi & inviſi ſimus hominibus,
 orianturque ex ijs animorum ſimilitates ut ait
 Gomeſius Juris- Conſultus. Privatum ho-
 minem, tot hominum, quot lingvarum vi-
 ces obire, paræmia eſt; veritas, Regem tot co-
 ronarum dici poſſe, quot lingvarum, earum
 cumprimis, quibus præeſſe neceſſe eſt. Ut
 enim periculum decipiendi Principis per in-
 terpretes taceam, à quibus res non ex fide,
 ſed arbitrio narrantur, aut audita per amba-
 ges explicantur. Quid ſolatiij ſubditis nec
 intelligi ſe videntibus, cum ſolatium & aſy-
 lum requirunt? Quæ fiducia? nulli sæpe præ-
 ter Principem ſua conſtare volentibus, ſic fa-
 to aut voluntate ferente. Imò quod ſolatiū,
 quæ gloria Principis? ut Carolo quondã V. fe-
 licitatis illi Priamo ingeminanti: *ah cur non*
Adriano morem geſſi monenti ad litterarum ſtu-
dium; cum Oratori Latino Genuæ ad ſe o-

ranti per interpretem respondere coactus est. Quis contrà amor ac fides in Principem linguarum peritum ? ut quondam in Mithridatem 22. arum gentium linguas calentem eâ elegantia, ac si gentis esset cujusque (*A. Gellius lib. 17. c. 17.*) Cleopatram Ægypti Reginam, Æthiopas, Trogloditas, Hæbræos, Arabes, Syros, Medos, Parthos, aliósque audientem, & responso donantem. *Plut. in Antõ.*

At quo hæc sibi Princeps impendio ? Matthiam certè Corvinum, Galeato c. 3. teste non adeò jugi cerebri curâ, ac litteratorum sapientiumque alloquio convictumque indeptum legimus. Mutua favorum semper est unio, aut honorum, aut æris à Principe in sapientes, ab his contrà in Principem boni, auro, argentoque omni majoris, sapientiæ videlicet ; & vel ideo gloriæ immortalis. Princeps sapientes contemnens, sua contemnenda persuadeat jussa. Legem enim vi, non jure rogatam, quæ obedientia excipiat ? De Medicis Principi cura nunquam non princeps, & sapientium minor sit ? è quorum consilio, ut toga sagumque Romæ cælum, quod ajunt, digito tetigit, ita frænatur imperium, seditiones premuntur melius, ac Medicorum præscripto humores. Horum absentia videre Resp. juga plumbea sæpe, & flevère : sustulère Principes in culicem volantes gladios, dispendio gloriæ.

æqui-

æquitatis, amoris, fructu nullo. Sapientum
 stipatus satellitio Princeps, quid nî aut sapi-
 ens sit, aut censeatur? cùm fere *quàm ad pro-
 bos propinquitatem proximè quis se adjungit, tam
 optimus sit*, ut ait Comicus Plautus: illud-
 que ferè amoris è lege, similes aut reperi-
 ente, aut formante: hoc verò opinionum
 mortalium è consuetudine, cum ferè cicada
 cicadæ assidere credatur. Quibus quondam
 ornati laudibus Principes, Antigonus, Ar-
 chelaus, Pyrrhúsque Epirotarum Reges, sa-
 pientum Proci, nihil moror: unus in Ger-
 mania quantus Maximilianus II. omnibus li-
 bris litterisque notissimus, quibus favit, vi-
 rísque litteratis, quos non amore, sed dile-
 ctione profusâ complexus. Audi os omnium
 unum: *in sola aula Viennensi tum temporis eru-
 ditos fuisse plures, quàm aliorum totis regnis. Bi-
 bliothecam eo instructam splendore, omniumque mo-
 numentorum genere affluentem, ut Philadelphi
 Attalique videretur magnificètia.* Digna sanè cæ-
 sare metamorphosis. Neque Principi, nec
 principatui utilior, quàm cum in Athenæa au-
 læ mutantur, sic tamen, ut servire publico
 commodo litteras, non litteris publica post-
 haberi commoda velit Princeps, contendant
 eruditi, populus intelligat.

O Magnum Principem, cui prima sapien-
 tum convictus cura, ut se; divinam verò, cui

eruditorum Professorum evocandorum cura, ut suos ornet, in animo est. *Virtutis alimentum uberrimum honos* Valerio est lib. 2. Da Princeps honorem, hâc escâ piscem, Litterarum Professores; cum ijs regni tui gloriam mercaberis. Hæc si esca non omnibus congrua; hamum en alterum: *Specimen est florentis Reip. ut disciplinarum Professoribus præmia opulenta pendantur, quibus sublatis peritura studia Politicorum* Delphos Tacitus asserit. Quandoquidem *ut fruges non tam soli ingenio, quam cæli beneficio, & temperie latius proveniunt ita quoque artes bonæ, eximique ingenia Principum, ac Magistratum benignitate excitantur.* Ignis ille hoc fomento nutritur; imò flammam dixerō ingenia ea, sed non nisi cum, & ab hoc igne. Floruit Matthias Hungariæ, Hungaria Matthiæ, quia sapientibus donata, & dotata per fundatam academiam Budensem año ab hinc circiter 251. Florent Sinæ ad invidiam & æmulationem palmæ Europæ cultioris, quia tot Athenis, quot Urbibus illustres. Floruère ævo omni elapso Principum nomina aut Athenæis, ingeniorum Trojanis equis illustribus fundatis insignia, ut Caroli M. Parisinâ & Papiensi; Joânis III. Lusitanæ Regis Conimbriensi; Senatûs Veneti Patavinâ; Cosmi Medicæi Pisanâ; Ducum Brabantiæ Lovaniensi & Duacena; Stephani Bathori Poloniæ Regis Claudio-

diopolitanâ ; Caroli Archiducis Græcensi ; Ferdinandi II. Olomucensi ; Caroli IV. Pragenfi ; Friderici II. Viennensi ; Leopoldi I. Wratislaviensi ; Petri denique Pazmani noſtrâ Tyrnaviæ Academiâ ; aut magis pulcherrimis illis regiæ opulentia monumentis , ut cum Neronis loquar (*de tranquil. animi c. 9.*) moderatore bibliothecis fundatis. Quos inter ut tempore , ſic exemplo felices ævo primitiæ Reges vetuſti : digno ſanè Regibus exemplo , cùm ſe nec Reges eſſe cenſerent niſi caſtis libros , pèrque hos muſas deperirent amoribus. His ſuppareſ Romani , Romanis re iqui inferiores tempore , non ſapientiæ ſtudio ; pulcherrima cenſentes ornamenta Majeſtatis , quæ inſtrumenta ſunt æternitatis. Quis enim Julio Victore teſte 29. officinas librarias Romanas ignoret ? Ubi tot officinæ , quot libri ? quid Conſtantine ; Bizantij cujus operâ cum Valente bibliothecam librorum millium æquâſſe numerum comperimus. (*Baron : Tom. 9. Annal. ad ann. Chriſti 726.*) Philippum II. & Franciſcum I. taceo : unum in Italia promptuarium , & ditiffimum rerum antiquarum penu ut ait Baronius. Vaticanam bibliothecam nefas ſilere , ejuſque primum fundatorem Nicolaum IV. Pontificem ; ſubinde verò cùm à Germanis & Hiſpanis Clemente VII. jura Orbi Chriſtiano dictante flammis captâ urbe

ia

in bustum abiret, à cæteris instaurata Pontificibus, cum primis Sixto V. & Paulo ejusdem nominis V. ab Urbano demum VII. veris non sacrorum modò, sed eruditionis Principibus illustrata, cujus postremi jure quodam summo post occupatam a Tillio Hejdelbergam, bibliotheca Palatina tot Cænobiorum langventium spolijs dives Matri Urbium Urbi asserta, & mancipata est (*Putean in auspicio: biblio: Jovin.*) O dignos æternare in fastis sapientes! per quos sapientiæ sacraria perennant ab oblivione vindicata.



COLUMNA III.

FORTITUDO.

DUO sunt, quæ fundant servântque imperia. Alæ geminæ, quibus sublimentur; poli gemini, quibus salus, felicitas omnis vertatur ut cardine: Sapientia & Fortitudo magnanima. Dominatur illa, hæc ut dominari valeat, præstat. Leges dictat illa, hæc quibus sanciat, parit. Illa firmat & servat, hæc quæ firmata conservet, subjugat. Illa amorem domesticis, admirationem exteris, reverentiam cunctis imperat naturâ; hæc timorem omnibus Cadmæâ necessitate extorquet. Quid

potius, fortiúsque hæc inter communiter, ambigo; quid in Matthia principatum obtineat, nescio. Vincit utrâque, vincitur utrâque. Quanta superi fortitudo! non uno, sed ne millibus quidem annulis inscribenda. Annos, seriémque eorum tantisper evolvam, quot annos solij, tot fortitudinis Corvinæ à Patre haustæ indices habiturus. Pater námque ejus Christo Hungariã, Regnum Ladislao servavit Regi. Intestino & externo bello Pannoniam liberavit, fudit fugavitque Turcas, & ad internecionem cecidit sæpissimè: cum quibus decies collatis signis, quater decies tumultuario prælio feliciter dinicavit. Orbem sui gloriã; amicos non minùs ac hostes funeris præmaturi complens dolore. Quantum æquus domi ac mitis, tantum fortis foris, ac strenuus. Virtute ab hoste, officio ab amico se vinci passus nunquam. In vita hostibus, in morte major se ipso. Ab hoc Leone Matthias quid minus?

Vix diadema susceptum, sumenda pro diademate ipso galea: & quidem (quanquam nec Hercules cæterùm contra duos) uni in tres potentissimos triplex. Regi in Cæsares Orientis & Occidentis, tum & in Bohemos regni sui populatores & scirones. Altero ab electione sua anno Christi nempe 1461. Simon Magnus in Fridericum, qui & sacram coronam à
 Lega-

à Legatis repetitā abnegârat, & electo jam Rege diadema Pannoniæ missis 5. millibus ad ulteriorem Pannoniæ oram occupandam ambiebat, deficientibus ad eum Nicolao Vilacho, Paumkirchero, Helderbonâ, Sigismundo Proceribus cū citeriore Hungaria. Sebastianus in Bohemos ulteriorem Hungariam infestantes, Michaël Silagius in Turcarum expeditionem fortitione creati Duces (*Bonf. D.3. l.10.*) Primus petitus Fridericus, cædibus ipse, rapinis, incendiisq; Sabariæ agrum diripiens, oppidâque cogens in deditioem. Hic primùm in fausto Marte pugnatum, cæsis à Friderici copijs Hungariæ Regis legionibus. At fortuna ramum porrigens, virgam anno insequenti porrexit. Nihil consternatus Matthias reddito exercitu novo, urgente Turni ipsius præfentiâ confligit exercitus, præliatur cum forti semper Germania, sed secundo victoriæ cubo triumphat Hungaria. Secundùm triumphum pacis oleis redimitus. O quantus hic Mavors, cui talia primi ævi præludia!

Annus idem bellum Bohemos fortitudinis Corvinæ & cotem pandit, & gloriam. Bohemi ab Elisabeta Ladislai Regis Matre Duce Giserâ & Telepho multis potiti oppidis & munitis, societatis vinculo (*Fraternitates dicebantur*) nexi, impositis in varia extemporanea castella præsidijs, 28. annorum fluxu di-

ro Pannoniam jugo prefferant, excursionibus ac latrocinijs, latrones & domini prementes omnes latè provincias. Ferre ultrò Matthias æmulos & latrones non sustinens, anno eodem expeditionem suscipit, castra movet, herbam porrigere cæsos, fugientésque compellit, eoque Telephum in Bohemiam pulsam inopiæ redigit, ut vix oboli jam, qui nuper castrorum dominus, famem ad tenuem sedaret sportulam, miserè demum cogeretur perire, digno perfidiæ supplicio. (*Bonf. Dec. 3. l. 9. § 10.*)

Quid sequens 1463. ? Eum re esse exhibuit, qui in coronatione 1464. *Alexander* alijs, *Cæsar* alijs, *invictissimus Pannoniæ propugnator, Mars scythicus*, plerisque reliquiæ gentis *Romanæ* dictus est (*Bonf. Dec. 4. l. 1.*) In Bosniam quippe exercitum Juveni ducere, Alibegum bis fundere, fugarèque fuère prolusio; scena erat Jaicza Metropolis oppugnata; & quia à tanto, meritò expugnata; eo Mahometis dolore, ut propè enecaretur ob inexpugnabile ratum, jam expugnatum. Apodosis erat 27. Castellorum eadem hyeme gloriosa receptio: Jaiza verò imposito Corvini præsidio tentata obsidione à Mahomete illo orbis, non Matthiæ terrore; sed tentata duntaxat, quia audito obsessis succurrentis Matthiæ adventu præpro-

properâ festinatione , castris , bellicis machinis, impedimentisque relictis ante pugnam fugiente. Tantum potest victorijs clari vel fama Adolescentis.

Pro salutè pugnatum hæcenus , pro gloria subinde & nomine. Res novas moliebantur in Croatia Frangepani Comites , in eisdem contumaces cùm expeditionem 1465. suscipit Matthias , continentibus revocatus nuntijs ; adferentibus Bohemos Swehlâ Duce miscere omnia , asylo se continere, templa diripere , virgines matronasque incestare, igni ferroque nullo sexûs , ætatis , foci, aræque discrimine habito grassari: Redire cum exercitu continuo, persequi infestos perduelles , profligare partim ac cædere , partim unâ cum Duce suo asylo seu caveâ clausos in arce Kostolan obsidione premere , faméque ad deditiõem compulsos, ad eas redigere incitas, ut è millibus 7, universi aut chalybe , aut fame , aut publico perimerentur supplicio , salvo nemine , nisi gratâ liberâque tanto malo Pannoniâ.

Fortitudinis ejusdem anno proximo & tætis & causa Transylvania erat perfida , palàm à fide regia deficiens , Joannémque S. Georgij comitem vel invitum in Regem eligens. Adest continuo delectu habito (ferè enim celeritate sopiuntur seditionum nubifragia, in diluvium, si contempseris, eruptura) cum 10. milium

lium exercitu Matthias. Famam prævolavit adventus ; prærupta montium, quibus cincta provincia, occupat, in planitiem deducit exercitum, copias explicat, terrore compulsos perfidos in obsequium cogit, paucis seditionis principibus capite mulctatis. Fracti fulmine hoc invia perrumpente Transylvani, non item Moldavia Stephano Vajvodâ Duce, horum complice, an authore. Premenda ergo cervix visa est hydræ hujus, ne presso capite uno, resurgat in Alcidem multiplici. Moldaviam cum exercitu petit, Romanum (sic dictum) forum occupat, pagos, oppida, obvia igni ferrôque consecrat omnia. Stitit martiales impetus Banya, Urbs nomine, réque princeps Moldaviæ, quia decumani Parens periculi in Matthiam citati. Banyam victrix fortitudo Matthiæ, cui nihil aggredi licebat, non dexterrimo Martis eventu, triumphantibus ingressa signis, stativa per urbem sapienter juxtâ ac fortiter disponit, sic tamen, ut quantum sui securitati consulit providus, tantum sibi Dux juxtâ milésque futurus princeps periculorum deponat. Adfuit opportuna gloriæ, ut discriminum messis. A Moldavis intempestâ nocte circumventus, oppressusque, fortiter cum suis dimicans pro salute & gloria, septem hostium millia cædens, duobus suorum amissis millibus, ipse quoque graviter saucia-

tus sagittâ, victoriâ potitur tanto gratiores, quo majori stetit impendio : ipsûmque per litteras supplicem Stephanum Vajvodan submittentem fasces gratiæ restituit, pacatis rebus victor Moldaviæ Hungariam repetiturus. (*Bon. Dec. 4. l. 1. Ranzan. in Epitome. Szent-Ivâni in Chronologica synopsisi tertiâ parte.*)

Fluctus fluctum per æquora, bellum excipiebat Mavors novus Matthiæ. Vix conditâ vaginâ falx laureæ, nova rursus invitabat fementis intentum ad clarissima quæque facinorâ naturâ suâ animum & ingenium, crudelitatis, & barbaræ inhumanitatis experte; cui ardentissimum semper Romanorum imitandorum studium, quibuscum perpetua æmulandi contentio vel eò, quòd Corvinæ gentis Cognomen libentissimè acceptum eorum principio gloriaretur, ut ait (*Bonf. Dec. 4. l. 8.*) Anno proinde 1467. habitis Agriæ Regni Comitij, decretisque in Turcas, Bohemosque expeditionibus anno proximè insequente ipse sibi Bohemiam bello laceffendam sortitur. Incitabat Religionis Catholicæ propugnandæ propagandæque studium, vindictæ in Bohemorum regnum nuper infestantium jam dormitorum in capite fautores Moravos sumendæ cupiditas, amplius verò continens Romanæ potestatis monentis, hortantis, obtestantis autoritas; Friderici ad hæc Cæsaris promissæ

missæ (etsi nec tum, nec subinde missæ) pecuniariæ summæ, unius videlicet anni proventus omnis Austriaci, item armamentariorum omnium armorumque apparatus oblatio, sed super omnia hæc, ut Juvenem gloria Corvini nominis incitabat. Pulchrum ratus videlicet Regem vix 27. annorum in sexagenarium, tyronem in veteranum arma capessere, pulchrius si triumpharet. Secundis proinde sideribus Georgio Podebrachio Bohemiæ Regi bellum indicens, nihil ut in magnis rebus ratus cunctandum, Moraviam infestam ferreâ tempestate invadit, ultroneâ deditioe ple-risque Civitatibus signis se triumphalibus submittentibus. Brunâ, Olomucio, Spilbergâ obsidione superatis, ac deditis, Moraviam, & Lusatiam suæ reddit potestatis. Eo quidem universorum plausu, fortitudinis gloriâ, ut anno 1469. Olomucensi in conventu Moraviæ Marchio, Bohemiæque Rex, Populi Senatusque Procerum Consulto salutaretur. Quid plura? annus idem Wratislaviam, Silesiæ caput, cum capite membra Urbes cæteras triumphantibus se dedere securibus jussit, ipsum Victorinum Regis filiû in arce Weszele novamolientem indies obsessum, colla subdere, & vinc-tum Corviniana castra & arbitrium sequi; tanto mæsti Patris Georgij vulnere, ut unius hujus ferendi impar vitam unâ ac gloriam cederet posteritati 1470. In-

Injurius sim fortitudini tantæ, si specimen bello editum Bohemico premat silentium. Deditioem fecerat Bruna victricibus, ut dictum, labaris Matthiæ anno 1468. Spilberganæ arcis obsidioni imminebat acriter Scipiades noster; succurrere laborabat contrà Georgius; vetabatur flumine, naturâ loci à Matthia electi, ne circumveniri possit, & quod caput est, virtute militum, ut numero superior. Veteranus tyronis, tyro veterani, uterque fortunam metuebat. Increpat tamen audacior nonnunquam Georgius è ripa, adversa in parte suis cum castris obsidentem Matthiam ut ingratum Socer, non religione, sed ambitu bellum geri succenset. Tum votum addit: Utinam in angusto loco ambobus Matthia depugnandi fieret copia & decertandi nostrorum non exercitûs jacturâ. Immortalitatis cupiditati sic semper obnoxius à natura factus fictusque Rex noster, ut comparandæ sæpè gloriæ ergò gravissima quæque adeo pensi haberet discrimina, ut ultrò gloriosius, regèque dignius censens omne, quo arduum magis, virtutisque, sed forti congruum. Accipit proinde gestiens votum Matthias, voti compotem facere Regem constituit. Eja inquit equestri decertemus certamine, ut principali pugnâ fungamur. At malè sibi consultum ratus Nestor Bohemus, hoc si cum triario congregeretur: vota generosi

rosi certaminis respuit, mussitabundus irâ, pudoréque herbam porrigens, atque præteriens. O Romano digna ævo audacia! (*Bonf. D. 4. l. 2.*)

Laborabat fortitudo pro exteris, laborabant fide domestica. Matthiam Bohemico intentum bello sciens Thracica hydra, 20. hominum millibus ad Savum amnem contendit, cum operariorum artificumque caterva, è conspectu agri fyrmiensis temporaneum è materia castrum erigit, arte, præsidioque certantibus munit eo fine, ut pro libidine fyrmiensi agro grassari, imperare magis & frænare, nihil tale suspicantē, nedū metuentē liceret Pannoniam. Expedita quidem in hanc subito lecta militum manus, at irrito eventu, præsidio locoque eâ contētione munito, ut majoris videretur impendij locū, cui Sabacz, aut meliùs à savo arbitratur Bonfinius Savacz inditū nomen, expugnare. Accessit Procerum Ecclesiasticâ, sæculique authoritate pollentium degener à Matthia voluntatum studium, junctâque in Casimirum alterum Casimiri Poloniæ Regis filium inclinatio. Quoniam tributis ultra modum suos Matthias bellorum tantorum prætextu premeret, ac ferè opprimeret; quin & necessitate belli ductus Ecclesiastica bona reditusque nullo Procerum, eorumque arbitrij habito studio, disponderet, & alienis usibus applicaret. Adest proinde 1671. Casimirus Pro-

cerum invitatus studio cum 20. millium signis
 suorum, seditiosorum copijs auctus, Nitriæ
 evocantes se Proceres præstolaturus. Quid
 ageret tanta in Procerum populorúmque de-
 fectione Matthias? cùm è 75. Comitatus
 (ut vocant) vix novem circiter fidelitatis
 Regi debitæ vectigalia penderent, atque u-
 nus fere majorum de numero Michaël Or-
 szág vir prudentiâ & experienciâ sapientissi-
 mus adversarios hoc retunderet fidei telo :
*Quemcunque sacrâ coronâ coronatum videris, e-
 tiam si bos fuerit, adorato, & pro sacrosancto Re-
 ge ducito, & observato.* Quid ageret inquam?
 egit, quod Regem & magnanimum, & for-
 tem decuit. Nunquam sibi diffidens, eò magis
 intrepidus, quò trepidandum magis videretur,
 in adversis majores concipiens flammæ æstûs
 illustris, ubi major ostentandæ fortitudinis
 offertur materia. Revolat à Bohemi belli ar-
 dore, Ducem conjurationis Joannem Strigo-
 niensem Antistitem aureis Philippo sibi concili-
 at, & expugnat hastis munerû amplissimorum.
 Tum castra castris Casimiri oppositurus Nitri-
 am festinatis itineribus celerat, Rex Regem
 arctat, obsidet, & ut multitudini comnea-
 tus impar illatus, fame summâ laborare com-
 pellit, dum versam spectans Casimirus aleam,
 desertum se à Proceribus aureos spondentibus
 montes Regni, clam nocte intempestâ egres-
 sum

sum cum suis pacisci, juréque jurando nullum se unquam Regno huic bellum illaturum spondere cogeretur. Regis fâta, fuère & gregis. Liber indultus famelicis reditus, secus enim quid, nisi væ victis! Rediére, at lege non servatâ nullius per iter hostilis exercendi impetûs, vel potius observandæ impotentes per famis sacrum ardorem, circumventi à rusticis, quia dispersi, in regni finibus, in prædam ferè omnes miseram ac miserandam cessère. Ita nempe audaces fortuna juvat, juvenum proca, & bonæ causæ nunquam non triumphantis amasia. (*Bonf. Dec. 4. iib. 3.*)

Depulsa erat procella domestica, alterno-cardine haurienda nova, tanquam ex Spartano Cothone belli incendia imminebant Matthiæ, alia è Polonia, è Bohemia alia. Uladislaus Casimiri Poloniæ Regis filius, rejectis in Regni Bohemiæ ad Chutam comitijs Matthiæ Regis diadema Bohemiæ postulantibus Legatis in Regem electus, evocatus, receptus. Impatiens mutili per fortitudinem Matthiæ, & adhuc tum possessi Regni, vel magis reliquiarum Regni, se Regem indolere primùm, Patri indies conqueri. Hic verò Matthiam interpellare, sponte bello parta ut filio cederet, spondens belli impendia se redditurum. Repone-re Matthias, facturum se petita continuò, si expensa 400. aureorum millia refundantur.

Immensa videri summa Casimiro, imparem se rependendæ in præsens, in futurum diffidere, belli proinde amplecti consilia, non detrectante aleam his assveto, ac indies crescente Matthiâ. Quin primum sibi in Silesia Wratislaviæ ad Urbem opportunissimùmque locum eligente, ac hostem paratis copijs præstolaturus. Triginta Regibus geminis fuere millia, 10. Matthiæ; satis tamen, quia forti, magnanimo, vires ipsa ex desperatione fumentis. Adiunt catervæ in castris, nulla tamen cum Matthiâ congregiendi copia, & hæc consultò providente Rege consilium in arena à sapiëntia mutuante. Laborare interim fame varietate gentiũ refertissima Poloni Bohemiq; militis castra, expectatione assiduâ, spe prælij nullâ. Ridere contra Matthias à pressore ipso Casimiro se premi cernēs, dum ad colloquiũ induciasq; dierũ aliquot peteretur, bellũq; minãtibus, & Provincias repetentibus intrepidè obstinatus reponeret: “ testor Deum, hominumq; fidem, utri-
 “ usque veram Majestatem, cum necessitas ipsa tulerit, me cælesti humanaq; justitiâ usq;
 “ aded esse fretum, ut uno die collatis primũ
 “ cum Patre, deinde cum filio signis me dimicare pollicear. Confido, præpotentis mihi
 “ justitiæ Numen nunquam defuturum, & me
 “ ab iniquè petentibus omnino defensurũ. It-
 “ terea quidquid pacis gratiâ à me fieri debet,

spon-

spondeo, polliceorque me ultro facturum : si
 pax ipsa negabitur, jus meum, & parta tan-
 to sanguine Regna non solum meis viribus,
 quantæcunque fuerint, sed si defuerint, acci-
 tis aliorum etiam auxilijs pertinacissimè af-
 ferturum. Jamque terga vertens revocatur, ac
 delinitur, dum pax his ferè sanciretur legibus,
 fecialibus ipsis Coronatis verticibus: Iret Mat-
 thias, Regis insignia, honorésque quatuor
 ab hinc annis susceptos ritè servaret, Silesiâ
 Moraviâque sudore partâ & sanguine, dum vi-
 veret, potiretur plena pro potestate arbiter;
 si fatis cederet, omnia Uladislai folio resti-
 tuenda. Ivit impar numero, major fortitu-
 dine ac virtute militum triumphator, & (ne-
 que enim nisi longum rogatus in has conditio-
 nes consentire volens) suorum retinens,
 idque per cælites se facturum, neque aliter
 pacis fœdera se initurum, minus latum un-
 gvem cessurum spondens, in Patriam felix re-
 duxit exercitum. (*Bonf. D. 4. lib. 3.*)

Reduxit à parta Silesia, Lusatia, Moravia,
 partèque Bohemiæ, quam incursionibus cre-
 bris pacem sæpe mercari compulerat. Eduxit
 continuò alibi vere proximo anni 1474. sed
 in prologum duntaxat futurorum, neque tamen
 suo infelici cassum epilogo. Eduxit in reli-
 quias atrociorum Polonicorum in Hunga-
 riæ, Poloniæque confinibus degentium: duobus

que statuentium præsidia ad Nagy Mihály, & Homonnam; eduxit in has reliquias, & tristes victor haud longè fecit reliquias, deditione Castrì utriusque factâ, cæsis, aut vinctis Budam dimissis, dignâ suo malo poenâ, dignâ Rege victoriâ, quia in pacis Regni universi emolumentum (*P. Szent-Ivani in Synopsi Chron: Hung. c. 3.*)

Amplius est, quod Anno 1475. Bohemiâ, Moraviâ, Silesiâque pacatâ, liberatâque à latrocinij superiore Hungariâ, tentavit magnanimus, perfecitque fortis tentata. Vitâ potiùs amittere, quàm Christianorum cervices, castrì Savacz se invito à Turcis extructi, validissimisque naturæ juxtâ, ac artis operibus, hinc Savo, inde castris plurimis roborati jugum ultrâ ferre, gloriosum duxerat. Macte animo Rex fortis atque magnanime, cessere Tibi in via Transylvaniæ, Moldaviæ, Bohemiæ numero minori semper, semper virtute majori; cedent & hæc Titanum molimina: *omne opus difficile videtur, antequam tentes.* (*Veget. l. 2, c. 17.*) Tentabis, & dum Tibi cedere gloriæ ducet castrum, tuum erit, tu verò æternitatis. Nec mora, huc totâ virium Pannonicarum contentione, Savo trajecto cum exercitu advolat Matthias, sensere ad portas non jam modò Hannibalem, sed ad Tænarum, Herculem, pugnaturum in Martis ac Mortis impe.

imperium, & inferorum pacem: conveniunt proinde magnanimi in Alcidem Antæi, at irrito eventu. Obsidetur castrum accerrimè juxtà atque celerrimè, adèd ut inaudito Corvini nominis triumpho expugnatum priùs (trigesimo quippe in potestatem redactum) quàm oppugnaturum à suppetias lato barbaro Thrace; dirutum priùs, quàm tentatum ab universo Christiano orbe audiretur, summâ Romæ, Venetijs, & totius Christianitatis gratulatione protrito flore orientis Castellii, & lectissimi Turcici militis. Tantum potest fortitudini juncta magnanimitas, si suæ ut Echeneidi polypus, animus constans adhæreat; fortia audeat, quæ ausus vel hâc obsidione Matthias omni ævo inaudita. Cùm namque obsidioni pertinaciùs insisteret Rex, atque in ipsis jam propugnaculorû minis comminus dimicaretur frequenter, quo castri dedendi moram præriperet Rex celeritate & felicitate æmuli Martis, gregarij militis habitu intempestâ nocte cum lumine, unóque duntaxat remige cymbæ se credidit, propugnaculorúmque lustrandorum causâ accessit proximè, omniâque perlustravit ausu incredibili, quia propè temerario. Turca infestum speculatorem advertens, tormentum æneum in eundem continuò intendere, ictu ejusdem lumen obteri; metuere nauta, at

Matthias illius Romani æmulus in tempestate magnanimi & hortantis: quid times? Cæsarem vehis: metum dissimulare omnem, neque ab incepto lustrandi studio quidquam remittere. Debeatur virtuti inauditæ, inauditi roboris propugnaculum, æquâ lance obsesum & obsessorem pensantibus Superis: dabitur tibi gloriæ perenni castrum Sabacz in fastis, tantum te procum habuisse, & personatum, quia tui amantem. (*Bonf. Dec. 4. lib. 3o Ranzanus. Turocz. & Szentivani.*)

Prolusum fortitudini satis, epitalim fortis magnanimitatis Annus 1477. tum pace sanctitâ 1480. proximique decem dedere abundantem (nisi enim morte præventus, Constantinopoli figendæ sedis ignes animo fovebat Sambuco teste in appendice Ranzani) quibus in Fridericū infesta signa tulit, Rex in Imperatorem. Causæ variæ varijs visæ, Bonfinio hæ: primò conceptum in Cæsarem odium, Regni diadema anhelantem, indignèque ferentem se præhabito adolescente passum repulsam, quin quòd sex annorum spatio Coronæ sacræ pignus petentibus reddere, & netum quidem absque pacta 60. aurearum millium pensione, & vinculo successionis augustæ in Regnum, si absque liberis decederet Matthias detrectârit. Neque ab ea conditione successionis identidem rogatus vellet desistere,
quâ



quâ causâ dixisse Matthiam propalam, atque per litteras: *se jus illud, quod vi adactus iniquè Cæsari concesserat, equo quandoque bello vindicaturum, & quidquid alienâ improbitate, amiserat in foro Martis recuperaturum.* 2dò. Fridericum Cæsarem à Georgio Bohemiæ Rege in hæresim lapsò, atque anathemate Romani Jovis percussò, bello petitum per Victorinū filium magno Austriam infestantem exercitu, & militari cuncta licentiâ deprædantem: quin Viennam urbem urbium Austriæ obsidentem, Viribus imparem, consilij inopem Fridericum, invocasse auxilium Matthiæ, eum & filium Patris (sic se se compellabant) studiosum, sumptu maximo delectu habitocum signis advolasse, consternatos adventu tanti Principis Bohemos obsidione solutâ Patriam repetivisse, insecutum Matthiam, dum aut Friderici arbitrio pax, aut Marte decerneretur. Victorinum interim Fridericumque clam Matthiâ pacem sanxisse, reduxisse Cæsarem continuò legiones, quo summo ingratitudinis monumento inglorius Regnum Matthias cogeretur repetere, neve auxilii aut opis attulisse quidpiam videretur. Quin aliorum sæpè nomine infestasse legionibus Hungariam, rapinis incendiisque finitima loca vastasse. Bello ad hæc Bohémico cum Pauli Pontificis annutu Rex Bohemiæ dice-

retur Matthias, obrectatione Cæsaris non caruisse, nomen hoc impediante omni contentione, ne in Regem Chutnæ eligeretur Matthias, prælato Casimiri Regis Poloniæ filio Uladislao. 3^{to}. Rursum livore amplificandarum virium Corvinarum haud multis ab hinc mensibus nullis provocatum injurijs, Germanorum copias hostiliter infestare sivisse Hungariam; oratum, ut inhiberet, verba modò, modò dissimulationem reddidisse, justitiam hodie, cras virium causatum inopiam. 4^{to}. Neque promissi expeditioni Bohemicæ sumptus, univèrsæ videlicet Austriæ proventus annui & 60. aureorum millium negatorum postremam esse causam censuerim. 5^{to}. Demum aliorum è sententia iniquè tulisse Matthiam, cum filiam Cæsaris in thori societatem expeteret, suam veluti humilitatem spretam à Cæsare, insolentiùsque tum nonnulla retulisse, quæ nares animumq; acri telo perstringerent. Plura alij, hæc ferè Bonfinius Dec. 4. l. 4. Id certum potissimam belli hujus causam magnorum Principum more soli compertam Matthiæ, celatamque consultò, ut consilia ejusdem videretur orbis, non scrutetur. His igitur, aliisque de causis hos inter diversissimi moris vitæque Principes belli tædæ arsere, non nisi cum vita terminandæ. Movit univèrso cum exercitu hoc belli fulmen Pannonicum in Austri-

firiam, communique fato Cremsium usque
 cuncta ferè depopulatus, & præsidio firmans
 Anno 1477. autoritate Romani Pontificis
 metas statuit signis laureatis, Legato Pontifi-
 cis (ut supra dictum in Religione §. 3.) a-
 gente, Cæsarèque pro magnorum more pro-
 mittente verborum plaustra, eventus nihil.
 Reduxit proinde in Hungariam exercitum vi-
 ctorem, tam se fortitudine vincere gnarus,
 cedendo occupata omnia vi nullâ cogente, sed
 magnanimitate virtutis, quàm alios, cum res
 postulat, subjugare. Biennium tenuère indu-
 ciæ, cum rursus inconstantia Friderici Hun-
 gariam Jaurinum usque infestis armis infe-
 stantis succensus Matthias, patientiâ in furo-
 rem conversâ, parte exercitûs præmissâ in Sty-
 riam, citatis equis Zagrabiâ, ubi tristia hæc
 ei nova allata, Rakerspurgum ac Mariæbur-
 gum concedit, inde relicto Stephano Zapo-
 lya Comite Scepusiensi, & Jacobo Szekel,
 Rakerspurgij & Patavij occupatoribus Budam
 contendens, in Austriam Anno 1481. cum e-
 exercitu movens Hamburgum, pridie Kalen-
 das 8 bris. deditioe post obsidionem tolera-
 tam, tum 1482. Pruchchum forti munitum
 præsidio cum Viennensi agro, oppidisque fini-
 timis, Ginsium demum Friderico tum parens
 expugnat; copiasque in Hungariam ad hy-
 berna reducit. Claustroneoburgo subinde,

oppido Divi Hippoliti , Corneoburgo , Viennaque ipsâ obsessâ 27 â. Janu : Calendisque Junij fame execrabili captâ , dignam fortitudine triennali lauream statuit. Abundantem futuram forsitan etiâ maximo cuivis , at non Matthiæ. Restabat Neapolis Austriae eo animum vellicans magis , quo vicinior Viennæ , quôque naturâ loci operêque pro eorum temporum bellandi ratione fortior censebatur. Obsessa hæc anno eodem , quo capta Vienna 1486. sequenti victori pandit portas Matthiæ , & triumphantem recipit. Finem nullum constituisset fortitudo victoriæ , nisi stamina præcidisset , indicto 1488. ad S. Hippolitum conventu Cæsareorum Oratorum Saxonie Ducis Alberti disertâ oratio , ad inducias sanciendas Matthiam permovens . tum verò duorum ab hinc annorum intervallo ferale mortis imperium , jus suum in Matthiam apoplexiâ Viennæ tactum 1490. exercens , qui jura protenderat hinc Occidente , inde Oriente , fortis ubique atque magnanimus. (*Bonf. Dec. 4. lib. 4. Ranzan. in Epitome : Szent-Jivani in parte 3. Synopsis Chronol*)

Nihil moror ea fortitudinis laureatæ monumenta , quibus aut in Transalpinis Draculam è Turcarum potestate felici expeditione Dux ipse coram in libertatem asseruit. Aut abiens per Duces Anno 1476. Turcas Belgrado ,

do, & Temesvario erumpentes Ducibus Ali-
 bego, & Xenderbego, castris exutos, ad in-
 ternecionem delevit, omnémque recepit præ-
 dam barbarâ crudelitate Provinciæ raptam.
 Aut anno 1479. ad Castrum ferreum usque, &
 Styriæ fines Bosnenses Turcas populantes vin-
 dicaturus, submisso Stephano & Petro Garaj
 pari in Bosniam clade irrupturis affecit. Aut
 anno 1480. quo ipse victricia in Fridericum si-
 gna duxerat, Stephano Bathore Transylva-
 niæ Vajvodâ, & Paulo Kinisi Temesvarij Præ-
 fectò, ut hostium conatus observent missis, ad
 Kenyér Mezò onustos prædâ barbaros invasit,
 medióque constrictos cecidit, 30. hostium, 10.
 nostrorum millibus desideratis, victorémque
 cum præda militem Albam Gyulam reduxit.
 Aut denique cum 1481. Ducibus Paulo Kinisi,
 & Petro Doczy in campo Becskerek Sendero-
 viæ proximo 3. Turcarum millia faucijs
 exceptis, Stygias dimisit ad umbras. Mit-
 to hæc inquam, ut aliena nonnulla. Evocat
 me fortitudo domestica, rara in paucis.

Tum ea nempe, quæ 1487. Neapolis Au-
 striæ in obsidione probata. Castra arctissimo
 Urbem, ne quid com meatûs inferri posset ob-
 sessis, cingebant ambitu; in cœnaculo com-
 morabatur cum familiaribus Matthias, cum
 subitò emissus tormento bellico ferreus glo-
 bus tria puerorum obterit capita, miserandó-

que enecat funere. Conternati periculo Principis omnes, ipse suo nequicquam. Immobiles diro cruentoque perstat spectaculo Matthias, ne minimum quidem doloris edens indicium. (*Bonf. D. 4. l. 8.*) Tum ea, quam Eberstorffij, privatis Matronæ cujusdam sumptibus muniti, subque Viennensi obsidione tentati, patefecit periculum. Tentans munimentum hoc, cingensque Matthias, in humilicū Procerum nonnullis & familiarium accumbit. Cū subito emittitur ab oppido glans ferrea, paries ex terrestri malèque materiata incrustatione transfoditur, parūque aberat, quin Rex ictu sulphureo transverberaretur. Constans hæc inter nihilominus & intrepidus Matthias persistere, cæteris discrimine tanto consilij mentisque ferè inopibus; quin & dispositis ad Danubij ripam Viennensi in obsidione muralibus machinis, indies libertate summâ nunc suos animare ipse, nunc conatus hostium cominus ferè spectare, pericula sibi deponere omnia, ut magnanimitatem & fortitudinem æmulari auderent pauci, mirarentur omnes. (*Bonf. Dec. 4. l. 6.*)

Agmen claudant fortitudinis tantæ, ut ferè magnis sua sunt præludia rebus, certa indicia, quibus conjiceretur è floribus fructus non visæ ævo magnanimitatis. Proprium Matthiæ semper ac peculiare quietem inter quietis æmulos

mulos turbines capessere ; Morphæo indulgere, cum infesti Martis fragores perstreperent ; tum suavissimum naturæ pensum persolvere jucundissimè, cum tempestas armorum & tonitru aures feriret, secus vigilantiaè semper summæ intentum esse. (*Galeot. c. 10.*) Alterum porro, quod inter epularum, & vinorum affluxum fortia semper linguâ Patriâ concinerentur facinora, quibus & torpor animi elideretur, & ad paria æmulanda incitaretur (*Galeot. c. 17.*) Ea denique in hastiludij, ut in umbræ certamine. exhibita fortitudo, relata gloria. Holubarem namque Germanum strenuissimum equitem, pluriùmque arenarum victorem, corporis & virium mole mirabilem, ut primùm Hungariam tenuit, ipse sibi Matthias depoposcit continuò. Recusare ille primò metuens, ne communi ludi hujus fato prætento hastæ conto aut Regem summo cum periculo solo allideret, aut non sine læsione contunderet. Instare contra Rex bonoque animo certamen suadere. Assentiri ille, sic tamen, ut cedere magis, quàm periculo Regis vires animùmque ostentare decernat. Sacrorum contra omnium fidem interponens Rex jure jurando, vitæque periclitaturum minari, si secus, ac cum accerrimo inimico tentaret certamen. Et jurisjurandi sanctitate, & metu vitæ discriminis congredditur demum cum Rege Holubar, testi-
 bus

bus spectantibusque millibus hominum pluribus, eaque Regis dextéritate, ut Holubarem in fronte tactum per clunes equi fortissimi fracto brachio decidentem exciperent socij, Rex vicissim in pectore tactus exiguo spatio ex equo prolaberetur pede læso, ipse tamen frænum Bucephali comprehendens assurgeret; æmulum malo omni curatum, regiâque magnificentiâ donatum, & fortitudinis & liberalitatis regiæ testem in Patriam remitteret. Jactent sæcula fortitudinis prodigia, quibus paria vel à teneris ætas posterior jactare valeat; in exemplum pari dignitate itura (*Galeot. c. 14.*) Dignam sanè fortitudinem ut periculorum, sic laurearum emolumento longè maximo. Dignam, cui hinc Hungaria cum annexis Provincijs Transylvania, Valachia, Moldavia, Bosnia & magna Serviæ parte profligato sæpè Turcâ, ultrâque Jaiczam anno 1479. pulso: inde compresso Bohemo, adempta Lusatia, Silesia, Moravia: rursus Austria æquo Marte, grassante licèt per Hungariam peste, & infestante Turcâ petita & parta, Poloni afflicti, Hidruntum oppressione Turcarum liberatum, fines omnes Oceanum, & Adriaticum mare interjacentes Imperij Corvini terminus constituti vi bellicâ, lauros sererent ac rigarent immortales. (*Galeotus in ingressu dist. 5 facto.*)

Fortitudini Ducis appendix fortitudo sit militum

litum. *Flexibiles namque quamcunque in partem ducimus, atque ut ita dicam sequaces sumus, cum vita Ducis non tam censura, quam lex sit perpetua, ad quam dirigimur, & convertimur, neque aded imperio opus sit, ac exemplo. (quod ait Plin. in Paneg. Trajani.) Nusquam gentium spectare licuit caloribus & frigoribus, laboribus & inediae tolerantiores, qui studiosius imperata facerent, lubentius dato signo pugnam inirent, se morti promptius devoverent. Fortitudinis plus quam Lacedaemoniae testes Legiones Graecae dictae, maximorum illae Matthiae operum dextra brachia. Hyeme juxta atque aestate in castris agentes. Sub nivibus saepe ac terra, ut Neostadiensi, Sabaczensi que obsidione contingit, ne obsidionem deserant institutam, tolerantius hybernantes. Tesserariorum jussu equitibus praesentibus, neque loco motis unquam, neque de rigenti algore querentibus. Et quanquam plerisque membra vesano stupida frigore, invicto cuncta animo perferentes, eaque cura in castris liberos exercentes, ut multos in ijs Curios, Camillos, & Fabricios, multos Fabios, Scipiones & Aemylios hoc sub Alexandro vel Caesare licuerit intueri, qui sic Pannoniam vix ab hostili se tuentem auxit pomærio, ut non à Sarmatis ad Adriaticum, sed à Mysijs ac Macedonibus ad Noricos usque atque Germanos imperium propagaret. Specta*

Etia Duces in milite, milites in Duce, pari car-
dine non nisi felices atque magnanimos præ-
dicabis. (*Bonf. Dec. 4. l. 8.*)

Paraphrasis.

REs mira, felicem orbe Principem nemi-
nem, nisi cui Thraciâ rupe desertâ Mars
in Provinciam hospes migrârit, hoste uno
confopito pullulent novi, lernæo fatu: unius
defossum cadaver æmulos seminet deteriores,
plus semper voluptatis ex armis, quàm ex pa-
ce. Miseria jus consuetudinis obtineat, gla-
dio cadat seges foris sæpè, sed & domesticis
factionibus falcatis pugnetur curribus. In-
strumenta pacis in pacem sævire cogantur.
Hæc inter non cadere animo, non revocare
gradum, sed intrepidi animi robore evade-
re ad gloriæ arces, hic labor, hoc opus,
Si cui tamen, necessaria Principi. Ut cuius è
vultu seu Naucleri tempestatem remiges, peri-
culi magnitudinem vulgus legit. Æqualis
sit semper animus, qui enssem & cassidem, vi-
res semper præstat atque victoriam. Ruant
elementa per orbem, impavidum ferient Prin-
cipem fortem, in quo animus est unus, qui vin-
cit idem ac vincitur. Cos virtutis adversa
sunt, fortitudinis magnanimæ discrimina. In
his ut petram solidari fulminum ictibus testa-
tur Plinius, sic Principem roborari, quia eli-
den-

dentem cum Othone (*Tacit. l. 2. hist.*) ore placido, ore intrepido, facto leonino. Quid sperandum à Duce, ut Cornificius de suis ait, galeato lepore? aut Attico pectore, debellaturo super mensa Alexandrum; in arena, cum ad triarios veniendum, ne Mytæco quidem audente congregi? nisi laurum omnem in tallaribus Mercurij futuram. Atqui non hæc est fortitudo digna Principe ut *Seneca Ædip. act. 1.*

- - - *regium hoc ipsum reor*

Adversa capere, quòque sit dubius magis

Status, ut cadentis imperij moles labat

Hoc stare certo pressius fixum gradu.

Quæ crevère imperia? Sparta, Græciæ Domina tum constituta, cum sub Lyfandro & Agesilao Bellona audiit fortis. Mænibus destituta consultò Agesilao dicente: armatos cives spartana esse pergama. Macedonia pace in gloria, impar orbi uni martiali in pulvere, quia impares ei limites Europæ, par pluribus reddita. Quid gentium Domina, quando facta Regina Regnorum, Urbium penè dicam, & Orbium? Camillos & Fabios, Scipiones & Julios cum nacta. Contemptui semper tra-bea, quæ non thoracum & galearum bractæas, alitèsque suffixas militari sæpè pulset audacia. At quid propagari dicam fortitudine Imperia, cum ne servari hac sinè certum. (*Polybio de fidem l. 6.*) *Omnia Resp. servatur fortitudine*

Quâ

Quâ illâ? Aristotelem en tibi (*l. 3. Ethic.*) periculis suscipiendis, laboribus perpetiendis faxeâ. Cùm malorum Ilias incûbit vertici, malus Typhi frangitur, vortices toto imbri funduntur, virû tum esse, *non perturbari asperis, nec tumultuanter de gradu dejici, nec à ratione discedere*, verbo omnia amittere, unum pectore virum nunquam, *fortis id animi Cicerone l. 3. de finibus* argumentum certissimum. Habe Mithridatem sic vel catenas inter audentem: *Mithridates terrâ marique Romanis tot annos quæsitus, sponte adsum: utere, ut voles, prole magni Achemenis, quod mihi solùm hostes non ademerunt.*

Ut caput sis orbe toto secundum, tentanda est dura nonnunquam alea. Tentavit Matthias, non virum se minùs probaturus, quàm Regem, & probavit omnium victor. Intrepidus perge, etsi alieno trepident spectatores periculo, tu tuo securus, noli; formidabilior erit exercitus tuus, etsi cervorum, si Duce leone; nullo opus erit dictamno, quàm leonum, si te cervo Duce. Cæstibus exerceri ambibi, & indurari in virum, nunquam mihi crede fortuna audentem despicit. Probrum est metuere hostilia omnia, fors & ipsam Morphæi sicam. Impavidum esse, cùm expavêre omnes, regium esse ducebat Matthias ad Neostadium & Eberstorffium, ut Carolus V. Impera-

perator Ingolstadium obsidens, nec vultum mutans, nec locum, quantumvis hostes continuâ tormentorum explosione tentorium lacerarent, interfectis juxtâ nonnullis. Parmensis ille Belgicus Mavors, cum dapes ipsæ sanguine interfecti hostili globo super mensam Chiliarchæ respergerentur, non locum, sed dapes & stragulum jubens mutari imperterritus. (*Strada*) Nunquam virtus horum tanta, nisi tanta fortitudo ac magnanimitas.

Si à communi recedendum linea Principi in aliquo, in fortitudine est. Non metuenda ei fors aspera, quippe arena gloriæ. Piscator ut gobium capiat, aspergi non renuit aquâ, tu subire turbinem, dum serenitatem Phæbus inducat magnanimus. Quia magnanimus fuit Matthias deficientibus à se Principibus domesticis vicibus ternis; quia intrepidus fuso primum à Friderico ad Sabariam exercitu ducente alio; quia fortis in pugnam redijt fulminator: putavêre hostes revelatam Persei parmam, & omnes plus, quàm lapideo obrigentes frigore, cæsi, capti, fugati. Unus sustentat dux fortis exercitum. Agnovit Turca id jam propè devorans laureatus Belgradenses obsessos, obsessorum animos ab uno Joanne Hunniade confirmari, ut quondam Tarentinos à Fabio, ut diceret: etiam Belgradenses habent suum Mahometem. Dura in adversis, for-

fortis & strenui est contra fortunam spei insistere, ignavi & timidi formidare. (*Florus l. 4.*) Si duraveris animosè fortitèrque, plerùmque fortunam in melius mutas ait ille. Miraris? alternat Bellona vices. Cui hodie præcingit laurea frontem, cras conspirantibus austris tunditur, & plures ululant ad tympana manes. Orbe penè exul Pompejus, auroram universam armaturus in focerum, Ducem se esse oblitus est nunquam. Sperans dum vena & ensis micare visa. Putas impetraturum Matthiam aliquid à Casimiro, si metuerat? magnum nihil; ausus retulit omnia. Nempe quisquis ad sceptrum natus eventu aut casu mutari, turbari nullo debet; mutetur, levitatem judicij, & ignaviam exhibet. Nunquam Scipio rem Romanam restituisset, nisi viribus stetisset & animo, etiam cum deplorata haberetur Hispania, sic victi vincunt sæpè. Nunquam eo gloriæ Matthias ipse provexisset victricem Hungariam, si Regij solij in limine ad Sabariam Simone Magno Duce cæso exercitu à Friderici & perfidorum copijs, cum pudore suffusus miles & dolore decimari se in pœnam peteret, animo cecidisset, & non magis consolaretur eosdem dicens: *felicis esse Principis, iniquam principio sortiri fortunam, utpote camalenti similem, subinde felicem futuram.* Si prin-
cipio

*eipio felix, è contrà. Sic Alexandrum jugi victo-
 riarum in cursu Deos semper orâsse, adversi non-
 nihil immitterent, temperamentum felicitatis, illi-
 cium virtutis. Polycratem felicissimum princi-
 pio, miserrimum termino contrâ fuisse. (Bonf. De-
 cad. 3. l. 10.)*

Juvit in extremis audacia fortis, quid non
 factura, cùm nondum fluctuatur in cuspide?
 Scio equidem viros maximos ictu subitane
 arce mentis dejici, jacere enerves non secus
 ac Hiero olim Siracusanorum Princeps, qui
 devictis prælio copijs suis, Messanáque obsesâ
 adeò timore perculsus, ut non solùm castra
 atquè tentoria incendens fugâ sibi consuluerit,
 verùm etiam munitissima quæque loca Mes-
 sanæ regionis reliquerit. Scio contrâ dictum
 Cynici: fortunæ confidentiam objiciendam,
 naturæ legem, perturbari rationem. Scio
 gladiatores decennales cæstum sumentes, quo
 delectantur, crispari nonnihil. Permixa fu-
 rori dum præcedant consilia hæere attonitos;
 at sanguinis visâ aurorâ, in meridiem illico
 calere Elephantes, adamante suffultos videri
 Encelados, Vesevos novos ignibus æstuarè,
 stantes occumbere velle, eò orbem alterum
 subituros ardore, quo Pana ac Circum Roma-
 na Juventus. Denique ludum aut somnum
 videri mortem, quia non pavore, cui elementa
 repugnant, sed Martis igne calentibus, fiden-
 tibus

tibus animo inhabitanti : sicque habentibus : prælia gloriâ commendari , virtute geri ac constare.

Virtute dico , non temeritate. Divinum quid molitur illa ausu suo tygridis in morem ferociens , leonis audens. Quis Leonidam cum 300. militibus illi fluminum siccatori ad Thermopylas obviantem ac cædentem ? Magnum item Pellæum cum 13. millibus centena superantem millia Darij ? Quis nostrâ ætate 1706. orbis illud nostri fortitudinis prodigium in Carolo tot Regnorum , quot Coronarum cum Imperio Atlante Barcellonæ se patienti obsideri ? Quis denique ævi nostri Scipiadem Eugenium Cremonam concubiâ nocte ingressum , Villaregiûmque evoluta ab hinc decennio captivantem non admiretur ? quis porro ausum improbet , quod approbavit felix ævôque futurus miraculo eventus ? facit nempe incredibilia virtus , semina habens ingentia factorum ingentium , tum solum , cum Stiliconio dicere fas militi : *manes & sidera testor , hæc cervix non sola cadet.* At non temeritas hæc , sed virtus vulgus excedens dicenda est. Virtutem probo , temeritatem non item. Spectandum principio semper , quid humeri possint. Fluctuare in alto nefas , errare in bello. Cave , Capaneos , aut Hippomedon sis Princeps , fulmen meriturus , & capulum majorem habéas

habeas, quàm manum ; quia *cum rauco strepue-
runt cornua cantu, verū erit: stare loco nescit. Nec
omnia, nec nihil metuendum Principi bellige-
ranti, at è Satyrici mente volutandum ani-
mo ante tubas id veterum : ferò pœnitere du-
celli, cui galea & clypeus præsto*

Claudat agmen fortitudinis audentis, non
temerariæ, disciplina militum, atque bellige-
randi justitia. Hem ! ut madido sæpè digni
cachino, bellis injustis manus juratas confe-
runt, Gerris & Nævij buttubatâ præbentibus
ansam. Non jura gentium violata, non in-
cursiones hostiles, non violatæ induciæ, non
capitolium Brennus incendit, non Remus fos-
sam transfiliit, sed dira regnorum cupido, am-
bitiôque impellit. Hæc dum causa belli, de-
coret quæ *palma Gradivum, aut constans pa-
cis oliva ? Trojæ fato lugeretur hodie Roma-
na potentia, si Cunctator temeritati Metelli
obsecundâisset. Anticyras navigare dicendus
sanè Princeps hic, quisquis hâc aut simili cau-
sâ thoraca gestet. Illam magis justitiæ aman-
tem, dicentemque cum Carolo V: *etiamsi ex-
pugnatum haberem universum Regnum Gal-
licum, redderem illud Regi, dum illud exigu-
um, quod meum esse contendo, ut frui me
patiatur. Hæc sanè est fortitudo regna sub-
ruens, vel magnete attrahens. Subruens in
Ferdinando III. Castellæ Rege, attrahens in**

Augusto (*Rodericus Palentinus cap. 39.*) Præstitit utrúmque Matthias, ideo dicere licuit :
 “meritis si regna darentur, angusta est regnis terra fretúmque tuis.

At quæ militum disciplina ? cui non Mænadum orgya sint prælia, non Bacchi ardor & temetum sit Martis lypara, at comeatus sobrius cadus. In siti cum Istrum habeat, non massicum quærat, sitis ardor arenæ dulcia virtuti sint. Cum Catonis soles imbrésque, cum Adriani, denique cum Galbæ milite discat militare semper adversis, nunquam sva-vibus. Quietem nunquam, exercitium semper vel in umbra præbere. Celeritati cumprimis Catonianæ adstringere: quid stas ignave miles ? imitare passus Ducis dicentis: plerumque enim usavenire solet, temeritate everti Respublicas, morâ infelici occasionem capillatam decalvari, nervum enervari. Nisi venisset, vidisset, vicisset ille olim ? fortasse nunquam in Romanis labaris eæ lectæ fuissent notæ. Siderum more rotandus in orbem exercitus, ne torpeat inglorius pone tardi claustra Bootæ. Maturandum, clarissimi bello Selimi adagium est; ex signo rem, fortitudinem celeritate stare contende. Fac,
 & vinces.

COLUMNA IV.

PRUDENTIA.

EN tibi virtutem, quæ propria & unica est imperantis (ut ait Aristot. 3. Polit.) Nympha hæc Platoni, Ethnicisque pulcherrima, cui verum id additum elogium: usus me genuit, peperit memoria, sôphiam me vocant Græci, vos sapientiam, ego prudentiam. Et superi quanta hæc in Matthia? firma sanè sapientiæ domus, quia tantâ basi nixa, ut aded metuendum nihil ab eo: *Rex insipiens perdet populum suum.* Erravi, aded non metuendum, ut plurima sint emolumenta, sive ab ea, quæ in aulis; sive ab ea, quæ in bellis. Utrâque magnus.

Generatim aulicam de eo prudentiæ methodum sic cape: excelluisse justitiâ & assiduitate in jure dicundo, in puniendo clementiâ, in miseros pietate, in periculis, gravibusque rebus magnanimitate atque audaciâ, cumprimis tamen prudentiâ atque solertiâ in gubernando, sagacitate atque cautelâ in agendo, simulandi ac dissimulandi arte mirâ in omnibus. (Bonf. Dec. 3. lib. 9.) Si cui námque mortales inter, necessarium in aula moranti, multò magis moderanti: *astutam vapidò servet sub pectore vulpem.*

Ad cunabula regiminis Corvini provoco. Adolescens in regia confidens, componendis regni negotijs animum admovens, auditis attentè sententijs in confessu senatûs (nihil enim inconsultis Pontificibus , ac paternis amicis atque Proceribus optimis decernebat) eâ usus eloquentiæ gravitate, eâ Majestate morum & gratiâ, ut mirantium vel iniquorum cogitata partim falleret, partim vota non adeò expleret , ac cumlaret. Aliena sic confutare dicta argutè, ac improbare sententias, ut suæ quémque poenitentia sententiæ caperet, fateanturque unâ: dilectum sibi antehac paternæ memoriæ ergò , prudentiâ tantâ jam reverentiæ esse atque admirationi, sponon confirmatâ, sed auctâ. Michaël Silagius ipse Gubernatoris tum munere functus, rerûmque omnium author haberi cupiens, ab eo nonnunquam increpitus, sententiâ mutare est coactus. *Excellentis ingenij* (Ranzani verba sunt) *junctâ dexteritate, & dignâ atatis grandioris prudentiâ.* Desperavère cæteri de præfagiis inconsultis, de Rege etsi impubere, quia tamen supra ætatem sapiente prudentiâ, longè consultissimo. Adeò semina virtutum, ut teneris adolescimus annis promere se gaudent, nobilitate magis. (*Bonf. Dec. 3. lib. 9.*)

Si quis in aulis Principi stellio, assentatio.
Cane pejus & angve cavenda Hyena, sæpe

&

& crocodilum mentiens oculatè adeò, ut non nisi ab oculatissimo discerni possit. Quid majus in aula Matthiæ, si dignitatem; quid non amore modò, sed veneratione dignius, si sanguinis necessitudinem, avunculus enim; quid gratitudinem & mutuam magis commeritum obsequium, si beneficia procurati diadematis, & Regni, dum Regi vires ad gubernandum succrescerent, moderati, & fidem amoremque summa spectes omnia, Michaële Silagio? & tamen quia suis non caruit livoris partim, partim odij peste afflatis, ijs aures Matthiæ oppilatæ criminationibus subdolis, eâ varietate fucòque intextis, ut sapientissimum quemque in casses inducerent; donec Matthias non dans modò, sed confidens & aurem, & pectus æmulis, fide datâ, fidem debitam violaret pene, eum custodiæ tradi præcipiens, nisi altiori ductus providentiæ fidere non violâset. Eò nempe, ut vel hoc ipso exemplo partim potentiam Michaëlis metuendam propè magis, ac colendam reprimeret; partim criminationibus ne omnem omnino abrogare fidem censeretur, partim ut severitatem metuerent cuncti, dum fulmina torquet in unum, & hunc quidem tantum; tantâque sanguinis conjunctione devinctum. Hæc si in Cedros Libani mitti videant, quid minori de Dianæ arbuto futurum sit, omnes ca-

v
t
eant, quantumque amant prudentiam, tan-
tum iustitiam, & hanc in omnes parem for-
mident. (*Bonif. Dec. 3.*)

O quam bene dictum! (*Lucanus lib. 8.*) ex-
ceat ex aula, qui cupit esse pius! cum Alciato
teste: vana Palatinos, quos educat aula clientes,
dicitur auratis nectere compedibus; libertatis
nempe atque licentiæ agendi quidvis, loquen-
di quævis: cum venti tulerint, etiam quæ sum-
mi periculi. Felix Matthias, cujus aulæ ut veri-
tas exosa nunquam, ita invisa semper obtrecta-
tio mendax. Expertus id ut merito, sic malo
suo Nicolaus Madrusiensis Episcopus, Legatus
summi Pontificis Pij in Hungariam Matthiam
ad Regem destinatus. Hic alium mente, fronte
alium mentiens, peractis, quæ ejus intererāt, re-
giâ fretus liberalitate hyemem integram Budæ
confedit, viperinis complexibus & fallaci pala-
tinarum artium illicio cunctos aulæ Proceres in
pedicas pelliciens, unum si Regem providētis-
simum exceperis. Qui ut comitate blandâ, sic
versutiâ prudenti pollens, clavū clavo mentito
retundere, Nicolaum blanditijs iisdem fallere
nôrat dexterrimè. Quin & phisiognomiæ callēs
quâmoptimè, & primo congressu mores homi-
num distingvebat solertissimè; & à teneris un-
gviculis à Genitore latinæ lingvæ experte, at-
filialis versutiæ conscio, in arduis cum Pontifi-
cijs Legatis negotijs nullus alius, quam filius
adbi-

adhiberetur interpres, summorum negotiorum cum providentia tractandorum consuetudinem imbibit. Ignarus tam callidè providi, providèque callidi Regis Nicolaus, rem tanto indignam munere molitur. Ut in animum Regis autoritate dominaretur & gratiâ, criminari Proceres nunc hos, nunc illos; dissimulante Rege, & annuere se fingente, incepit; ut verò consultò mirari se diceret Rex, quos sciret plurimis à se ornatos beneficijs atque honoribus, vix eoque fidem adhibere se posse, malo eos in se esse animo. Tum regij arbitrij se regem existimans Nicolaus aculeum exereare amplius, nullâ conditionis, dignitatisque Procerum ratione habitâ, aded ut nemo se hujus viperæ morflu sentiret immunem, ut cui non odium Regis conciliare satageret: iisque cumprimis, quos bene de se non minùs ac Rege meritos beneficijs nôffet. Hic enim verò infrunitæ nequitiae & ingratitude osor Matthias salubre meditatus consilium, quo suis immemorem sui telis sterneret perfidum. Ea, quæ tu ad me hactenus, verisimilia haudquam videntur Nicolae, ait: nam cum liberalitate tecum actum sit omni ab omnibus, quâ probabilitate sibi veritas constet eorum, quæ argumentis & eloquentiâ tantâ tu persuadere conatus? Ardere deprehensus impostor, augere tamen perfidiam: coràm se omnibus

dicta dicturum, asseverata asseveraturum. Obtestari contra Rex, missas faceret artes ejusmodi, non Hungarorum modò exhibitæ in ipsum benevolentia, verùm & legationis tantæ muneri minimè condecoros. Perstare rursum, cæptæque pessimæ lineæ insistere Legatus; nihil se pensi hæc habere omnia, unius, quo Regem prosequeretur, affectûs causâ hæc omnia candidè, & porrectâ quod ajunt manu, sinûque proloqui, neque admittere se posse, ut quantumvis optimè, quod fateretur, de se meritos plurimos regis postponere saluti non dubitaret. Quid agat in obstinatum Matthias? moras necit, quæ sæpe farinae similis peponibus pœnitentiæ maturitatem adferunt. Indignum ratus providentiâ suâ, crudelitati animum, detractoribus aures esse patentes. Metuendam ad hæc erubescentiam Episcopi & Legati. Seductum proinde tantisper; an eadem staret hodièque sententia animo, scitatur curiosè, quâ nuper audacter se palàm coràmque dicturum omnibus omnia perfidiæ argumenta edixerat, asserit ille, nunquam id futurum existimans. At Rex continuo in Principum assurgentium & Nicolao blandientium confessum adductum sic regis affatur: Jam tempus est, & occasio, quam tantopere concupisti, jam palàm eloquere, clam toties mihi concredita, à me credita

nun-

nunquam. Nudentur insidiæ, quas in istis te cognovisse Principibus edicebas. Visis tot honorum, gratiarum, & amorum causâ optimè de se meritis Principibus, quos ne Mornus quidem læsisset audacior unquam, toto tremiscere corpore, decussatis in sinum manibus pisce magis mutescere, rubore confundi. At Rex: nisi summi me reverentia cohiberet Pontificis, exemplum in te legeret orbis, non convenire Legatis seminare discordias, & infontes Principes capitis salutisque periculo objicere. I, regni mei finibus interdictū tibi noveris. Sat esto. Id biduo nisi præstium à te, sciet Orbis è tuo capite nequitias hujusmodi & improbitates Matthiæ semper invisas. Discessit ille, at perennat gloria providentiæ Corvinæ in aulis (*Gal. cap. 12.*)

Par bellis, cura prima exercitum centuriarum labaris habere semper, & in pace; at quando huic pax Herculi? nigras æstivare hyemareque sub pellibus legiones: quibus & securitati subjectis, & formidini adversantibus esset prospectum abunde. Fines quoque Regnis alienis conterminos validis munire præsidjis, necessitate duraturis futurâ, etsi fortè præsentem nullâ. (*Bonsf. Dec. 3.*)

Bellandum? vocis propriæ ea magna confessio ad Reges geminos secum de pace tractantes: *Nihil unquam temerè adior, nisi meas*

præus vires fuerim emensus. Sic namque fat regulæ: quidquid agis, prudenter agas, & respice finem. (*Bonf. Dec. 4. lib. 3.*)

In bello audacia, at circumspecto necessaria consilio. Hæc progressus est ala; hæc arrha victoriæ, hæc fœderum Parens. Triadem vide in Matthia. Bella tria annus idem tulerat Matthiæ 1461. Bohemicum Religionis; Turcicum hæreditarij Christianorum odij; Germanicum in Fridericum propugnandi diadematis recens sumpti causâ. Fuere tum factionis Alemanicæ Proceres ut supra tetulimus, sanè haud pauci, Fridericum pro Adolescente Regem sibi optantes, & copijs fulti, & clientelis. Misso cum exercitu ad Sabariam cum cæderetur Simon Magnus, cedendum tempori, non animo ratus Matthias, anno insequenti & Dux ipse, & majoribus instructus copijs bellum instauraturus; operam dat continuo, ut legationibus crebris Nicolaum Vila-chum, & Sigismundum à fœderis Societate revocet, sibi quâ promissis, quâ muneribus devinciat, immemorem se fore perfidiæ spondens, charissimæ Patriæ ruinam, indignitatem perfidiæ ostendens. Egit, confecitque providus; ruptus funiculus, communionem ruptâ diminutæ Alemanorum vires ac copiæ, paratam anno insequenti Regi attulere victoriam. Adcò sanum sanctumque dissimulare inju-

injurias Principi, dum inter malleum & incudem fortuna, faveátque favonius, quo ulcisci liceat sine periculo, quod diademati per perfidiam allatum periculum. Nunquam tamen violatâ aut fœderis, aut libertatis æternæ promissâ oblivione. Tum enim nihil turpius, ac verborum, non fidei Regem esse quemquam
(Bonf. Dec. 3. lib. 1.)

Par conditio anni 1471. Bellandum erat in Casimirum Poloniæ Regis filium in spem Regni Paannonici evocatum à seditiosis tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus Proceribus, eâ causâ in Matthiam commotis, quòd Rex compos sui factus, ab Optimatûm consilijs, quibus hætenus erat obnoxius, alienus, suo cuncta consilio, non ut antè nutu agere, dicta refellere liberiora, unus omnia conficere. Ad hæc insoliti stipendij, non modò in domos, sed viritim in capita impositi insolens pondus (Dicam appellabant) etsi necessitate impendiorum belli, insolentiâ tamen suâ intolerabile censebatur. Præterea Episcopatum proventus, Laurentij Roborellæ Apostolici Legati autoritate Regis arbitrio concessi, unâ cum potestate Pontifices & Sacerdotes profanæ subjiciendi censuræ. Duces fuère proinde Joannes Strigoniensis, & alter Quinque-Ecclesiensis. Aderat Casimirus ipse cum delecto 20. millium exercitu. Impar Matthias

numero suorum, etsi summo se visurum studio diceret, quis suorum Optimatum hospes esse velit Casimiri: etsi vix credere posset, eos in se nova moliri perfida, quos ut paternos amicos tantoperè coluit, muneribus & honoribus auxit; tamen cum nec temporis, nec eventuum pateretur ratio in conjurationis reos sævire, ut qui clam elapsi, in suas se receperant arces; & nō recepissent, differendum ratio suaderet: simulare & dissimulare multa, comprimere iracundiam, & comitatem, lenitatemque præferre constituit. Obfirmare nutantes, promissis & largitionibus pleròsque à proposito revocare, Procerum multos oppidis dono datis reconciliare, contra torrentem brachia non tendere, plura consilio, quàm armis agere, astu & prudentiâ adversantem fortunam declinare non destitit. Et declinavit feliciter, cum reconciliato Archi-Episcopo, in quem pace ex animi sententia compositâ animadvertit, serviendum non minùs tempori, quàm prudenti, cum oporteret, justitiæ ratus, utriusque fautor & exemplar. (*Bonfin. D. 4. l.3.*) En alam progressûs.

Cum Uladislao & Casimiro, hoc Poloniæ, illo Bohemiæ Regibus decertandum erat anno 1473. iniquo Matthiæ numero militum, non tamen veteranæ ut virtutis, sic prudentiæ. Triginta illis, decem huic sub signis millia,
for-

fortiores utri, è provido Ducis consilio con-
 jice. Copijs se imparem cernens Matthias,
 arenam celeritate prævertit, ad Wratislaviam
 munitissimo confidet loco; ubi nulla tentan-
 di, nulla decertandi copia, nisi volenti. Mit-
 tit adhæc cum expeditissimo equitum comita-
 tu Ladam Ducem Paulum Kinisium, celerita-
 te magis, terroréque incusso Poloniam victu-
 rum, quàm morâ. Vadit hic, Poloniam pe-
 tit, nullibi expugnatione tentatâ, ubique ense,
 flammâque terrore sparso decumano, terren-
 tem percellit terrore, cùm cernit suas natate
 provincias, qui alienas invasit. Et vel ideò
 ad pacis condiciones, opinione suâ jam trium-
 phantem compulit, & coëgit. (*Bonf. D.4.1.3.*)
 En arrham victoriæ.

Fæderum Parentem habe. Bellabat anno
 1468. in Bohemos Religionis vindex Matthias,
 Brunâ Olomucióque captis, relicto ad expu-
 gnandam Spilbergam, Brunæ adjacentem, Bla-
 sio Magyar, in Hungariam cum milite hyber-
 naturus contendit. Ferebat fama Viennensi
 agro, urbéque, iterum victoriâ elatum Princi-
 pem iter facturum, nec famæ affectúsque stu-
 dio defuère Prætor Urbis cum senatu univer-
 so, Regis studiosissimo, & amantissimo; cer-
 tatim námque magnificas apparare ædes, Epi-
 scopatús atria cum urbica arce instruere, quò
 nihil in tanto pro dignitate excipiendo Prin-
 cipe

cipe officij posset desiderari. Audiit id Matthias, at quid? grata Viennensium studia: at gratior Cæsaris conjunctio, cujus vel suspitionis alicujus eo pacto umbrâ lædendæ metu abstinere sanxit continuò, alióque tramite Pannoniam repetijt. Amantium est, & providorum Principum, non maxima modò, quæ certè, sed quæ vel dubiè possint offendere, declinare. (*Bonf. D.4. l. 2.*)

Amplius ejusdem specimen, quòd metuens, cùm in Fridericum Cæsarem, Turcámque decertaret Matthias, ne Uladislaus foederis sibi Societate junctissimus, à Friderico eriperetur, atque ex amico in hostem mutatò vultu transiret, indicto ad Iglaviam conventu, muneribus donatum amplissimis in amicitia confirmârit. Augustissimam pariter ad Galliæ Regem Carolum legationem instruxerit, in foederis communionem eâ sibi lege alliciens atquè devinciens, ut Francorum Rex Maximilianum Friderici filium bello inde, hinc Matthias Fridericum petendum decerneret, atque sic felicitatibus utérque auspicijs medio velut compressos hostes, atque in diversa distractos, & vel idèd minori singulis sensu intentos protereret, alter in altero vinceret & triumpharet. Vis nôsse magnificentiam munerum Regi misforum eâ legatione, en prudentiæ magnificæ, magnificentiæ prudentis industriam: 25. au-

reorum millibus æstimata omnia: Turcici equi 25. vasa aurea & gemmata, Cataphracti equi & defultores, Dacici gradarii que, ephippia auro lapillisque distincta, superbæ cum frænis phaleræ. Reginæ è ductili auro trabea, vestes Persicæ, balthea, aureus cubiculi apparatus. Legato Gallico pariter fædus paciscenti munera tribus aureorum millibus æstimata. Hâc arte geruntur bella; paribus, præcedentia bellum stabilimenta regnorum fundantur, firmanturque fædera, philtro, sed finè philtro providentiâ, auro, & temporis opportunitate munita. (*Bonf. D. 4. l. 7.*)

Feliciter de fastigio rerum, & tota sæpè Orchestra disputat Princeps, qui commentò versatili omnem induens speciem, omni, quod a-junt vento, obvertit penulam. Sic Matthias prope Turcas vice quâdam castra metatur, consilium ad magna quæque promptissimum providè amplexus favente fortunâ, & vires adversariorum exploranti pandente. Pagano personatus amictu Rex, uno duntaxat comite adscito eorum numero, qui comiteatus in castra adferrent, se adjunxit; metamque cupitam adversariorum castra pertingens, diem integrum pro tabernaculo Turcæ hordeum pretiosior merce vendit institor. Tempus erat, quò *Sol lassus crescentes duplicat umbras*, in columis sua castra petit Matthias. Die postero

cer.

certiorem facit Turcam, pridie toto castra ejus se coram explorâsse, vendidisse rustici sub persona hordeum ad tabernaculum ejus; fidesque causâ numerum, qualitatemque epularum recenset ex ordine, ostendens quâ agricolam vanis felix mentitus avenis. Incessit religio non aures modò, sed animum barbari; gelidusque per ossa cucurrit sanguis celeritate eâ, ut die proximo castra solveret, veritus Scævola hunc non ad vallum modò sibi occursum, sed in medio tabernaculo invasurum. Disce providentiam pugnae, ut feras lauream. Juvit Matthiam consilium à providentia datum, cum eo Regnum universum. (Bon. D. 4. l. 8.)

Denique Rex erat Providentiâ incomparabili, & vel ideò incomparabilis. Sinceros audi, quia à morte testes. Quid luxere lacrymis populi indigenæ, & Patrij? Regem optimum, Imperatorem invictissimum, Principem clementissimum, Christianæ Reipublicæ assertorem, Patriæ Patrem. Et meritò: videre namque se vivente eo, docere alios & terrere potuisse; cum funere raptum & Regni imperium, & summum robur in armis: minimo succuti motu pugiles; qui quaterna nuper vegetalia formidabant de plebe, sexena se soluturos libenter: inter nobilitatem verò, qui se jugi bellorum apparatu affligi, jam publico privatoque se malo tantum non opprimi

ingemuere, cum sensere. Quid exteri populi? quibus fatis functo parentarunt titulis? Regum Principis, orbis terroris, duorum Cæsarium debellatoris, præcellentissimæ cuiusque virtutis exempli, at magnanimitatis & gloriæ cum primis prototypi. (*Bonf. D. 4. l. 8.*) Ferjam de Providentia Matthiæ sententiam. Sat scio iniquam non posse, imò non longè æquissimam. Eam nempe quam Orbis in funere, cum luxit miles ducem liberalissimum, plebs clementem, domitorem Scythicæ feritatis Regna exera, Bohemorum frænum, Germaniæ malleum, omnium bonarum artium Parentem optimum: bellicæ disciplinæ auctorem, machinarum armorumque complurium repertorem: omnia in omnibus, quia providū, & vel ideo Principem. (*Bonf. D. 4. l. 8.*)

Paraphrasis.

Regnum ambiunt multi, laudant folium omnes; præesse sciunt paucissimi; si sciant, faciunt vix ulli è dignitate. Regulâ nempe & mensurâ virtutum, statuum anchorâ, acu nauticâ Principum destituti prudentiâ. O quàm parca hoc in bono natura! Ingenium multis, salem dispensans paucissimis, serpentsque diadema, id nempe, quod sic ab Homero & Virgilio notatum: quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. *Quæ sint:*
ut

ut præsentia Lynx, non fūco, sed veritate; non umbrâ, sed luce; & eâ quidem perspiciat, cujus fax purior ille Phæbus ab æthere sit. *Quæ fuerint*: ut quæ speculum Principis, ac Principatûs, ex quo *imitationi capienda multa, cautela plurima, quæ sæda inceptu, sæda exitu.* (Liv. l. r.) *Quæ mox ventura*: hodierno, fas esto, privatum vivere; Regi, & crastino, & longè dissito. Hæc maximè prudentiæ digna titulo pars, quia provida prævidens. Prævertens sic damna potiùs, quàm emendans: præstantiùs censens impedire pharmacis toxica, quàm tollere. Clarior enim Hippocrates, qui præservat, quàm qui sanat. Sic providentia eò clarior, quò felices facit exitus cursu, quàm ab infelicitate reductu.

Da Principem hac sine, dabis Andabatam Regiæ, bello belluam. Mille Theseo uni Ariadnæ sint, ut in lynces Argus esse possit Princeps in aula, utpote ubi Hetrusco diverbio: per anni dimidium vivitur fraude & arte; arte & fraude vivitur alterâ anni parte. Nisi in auraria trutina verba factaque cum sua, tum aliena pendat Princeps, circumventû se dolebit, cum remedij impatiens erit nefas. Assentatio regnorum regûmque pestis, aulis semper domestica; quod ait ille: *fugit potentum limina veritas, quamquam salutis nuncia.* Sunt hæc plurimi, quibus cum fortuna solij magis,

ac cum Rege colloqui lubet, quæstu suo, damno Principis, letho Principatûs. Alienum ferè aulæ animal veritas, id quod alces Europæ, cervi Africae. Quid Mori illius Angliæ oraculi exitium? nisi Henrico VIII. facta veritatis confessio. Exosa ferè aulæ virtus veritatem pariens, dilecta cæteris. Domesticum contrà parasitus, mendax, palpum ducens, & ferè omni obvius angulo stello. Væ Principi! qui nescit: cum vulpe vulpinarier, quo solo: *ars deluditur arte*, sed mala bonâ. Cavendi Principi, qui? non omnes quidem: omnes certè timendi, sed cum consilio, sceptrò illo *Leopoldi Magni, Magnorum Caesarum Genitoris*, quod cuivis Principi in prudentiæ symbolum Ægyptus sacrum voluit.

Multum aulæ; plus bello hæc *Jovis vertice nata*, hoc *opus mentis*, ut maximus loquitur Tyrius, prudentia. Unum consilium rectum magnam militum manum vincit: *Vir prudens animo est melior, quàm fortis in armis.* (*Eurip. l. 2. Ep.*) Majus aquilæ pretium ab oculis longè posita videntibus, quàm ab ignibus, quos gestat unguibus. Decem Nestoras præoptabat Agamemnon, qui maturo consilio, quàm decem Ajaces, qui furibundi bella gererent. Quid prodest arma foris sine domestico tractare consilio? bellet bellua cornu, non ratione; ungue, non intellectu: contrà homo.

Cre-

Crediderim nunquam Arbellam Dario, Trebiam & Cannas Sempronio & Æmylio, Actium Antonio futura fuisse infamia, si futuri providi congressi fuissent. Neque enim solis viribus credendum, cum sæpe acri potior prudentia dextrâ. Hic, si ullibi, consilium eludendum consilio. An in arenam descendendum primò spectâ: *melius*, aiebat Rudolphus Imperator, *bene gubernare, quàm dilatare Imperium libidinis regnandi causâ*. At verò si belandum, fiat; sed ut oleis tantum & vitibus Cererique ferrea illa Dea famuletur. Pacem voluntas, bellum necessitas habeat, non arrogantia. Utinam id Sebastianus Lusitaniæ Rex Africam invadens generosâ magis, quàm discretâ indole perpendisset, luctum eum Christianæ nunquam Reipublicæ attulisset. Nunquam Franciscus Galliæ Ticini, Carolus Gustavus Svecorum cæsus fabula facti, si, quid valeant vires, quid ratio postulat, consulissent; consulturi tum sibi, cum se.

Bellas? & ardent omnia flammis? scito, ut fragili lembo furias compescere Nerei Typhis amat; sic multa, quæ *naturâ impedita sunt, consilio & ingenio expediri*. (Livius) Non quibus viribus, sed quo sæpè modo: consilio, non brachio; calamo, non gladio sæpè Gigantum proteras montes, spectandum est. Argon remora inhibet: Saguntum Romam plus uni-

ver-

versâ Asiâ : quantula in tantas moles? Nempe : mens una sapiens plurium vincit manus. (Eurip.) Hæc gloria Tiberij, se novies in Germaniam à Divo Augusto missum, plura consilio, quàm vi perfecisse. *Non omnia ndmque viribus, non velocitati, non celeritati, sed consilio & sententiæ cedunt.* (Cicero.)

Bene vir magnus: omnia negotia duplici stare basi: exordio callido & morato, calido eventu. His felicitas venit in omnia, consideratione tardâ, opere celeri. Calliditate & calore, hoc est consilio & executione; illud iudicio providentis, hoc fide eget amantis. Nilius anima cunctatio, festinatio hujus; utraq; belli, utriusque prudentia corpus est atque substantia. Electio maturâ & sanâ meditatione indiget, effectus celeritate, ut cum rupta glacies fuerit, falcatis in Ucalegontem curribus pergat, memor agendo audendoque rem Romanam crevisse, addo & celeritate.

Calidè, sed callidè juxtâ. Cum enim justè bellum suscipitur, ait quidam, ut apertè pugnet quis, aut ex insidijs, nihil ad justitiam interest. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Imò verò dulcis (ait Horat.) est sine vulnere palma. Hæc facit sæpè victorem victum fieri, & à victo victorem repente constituit. Cruenta victoria ferocitatis plus habet, quæ fraude parta campestri, rationis plus, & vel
ideo

ideo gloriæ : quia altero belluis ; hoc verò Deo ipsi reddimur propiores. Ingens victoriæ decus sibi censebat Agricola , citra Romanum sanguinem bellare. Himilcon verò , quia partis in Sicilia laureis , sanguinem fudisset suorum , triumphum detrectans pullatâ Carthaginem ingredi veste maluit. At fraudum nomine , non patrociniū perfidiæ , violandique juris datæque fidei venit. Barbaræ vox ea sit , fidem datam perfido , aut hosti vel eò non servandam , quia hosti datam ac perfido. Liberam servatu , aut violatu , cùm visum , cùm è re tua sit. Othomanæ feritatis , non hominis vox. Quæ enim tum pactorum sit firmitas , si Princeps , qui eorum esse deberet securitas , fallere nîl inficietur. Quis ei porrò fidem ? quam regnum ejus firmitatem ? qui suo duntaxat sensu , dicam veriùs perfidiâ nititur. Ingenio uti liceat , non perfidiâ ; mentis illud non dissonæ , sed magnæ indicium , hoc cordis ab omni fortitudinæ vera alieni. Claros alterum ac felices Orbi heroës fecerat semper , obscuros istud & infelices. Quis Pænos non laudet ? in summas dum conjecti angustias , visis Romanorum navibus à puppe frequentibus , sistentes repente cursus , simulantes se in vado hæerere , sicque hostes , ne & ipsi impingerent , ultra tendere non ausos. Quis Tryphonem auro sparso ? Demetrium Phale-

reum

reum curribus oppositis ac incensis? Ammianum Marcellinum, equo, cui lumen impostum per planitiem ad dextram misso, ad laevam fugiente ipso in montem. Eum denique Cunctatorem Romuleum, hostis versutias eludentem atque fallentem, non astris tollat & æquet? Ferrum & gladius aut paucorum potest, aut si possit, debet ebriari sanguine, vis sua ubivis esse potest ingenio. Digna gloria providi Carolo sapienti Franciæ ab Eduardo IV. Angliæ data: nullis instructum armis, solis litteris graviora contra se movere bella, quàm aut Pater ejus, aut Avus fecissent. Vis nosse quomodo? dum ars deluditur arte.

Disimulandum si ullibi, bello sæpe. Nolum quidem eo Lyfandri verbo: ut ubi leonina pertingere nequit, vulpinam assuat sibi. Leonem angvibus, non vulpibus, Ægyptiorum sapientiæ ad regulam coronatum pervelim Principem in bello. Disimulatio, cum neque fraudi alienæ, nec authoritati Principis noxia est, laude digna semper, necessaria sæpe: cum primis dum seditiosorum æmula perfidia bello, quam nec retundere, nec vindicare liceat exemplo Matthiæ. Tum enimverò salutis & gloriæ anchora prudentia hæc, cum non mendacio quidem deliniuntur, & junguntur scissa coporis membra, sed tacitâ, aut celatâ veritate, promissis illecti præstant-

standis, muneribus præstitis. Inconsultus quippe tum rigor est, cum rami resecti revirescant subinde nunquam. Felix tum anchora, quæ sic dissimulat, *ut ne dissimulans* (Tac. lib. 2.) *suspectior fiat*: sic sua celat, ut is, cui dissimulatur, dissimulandi haud advertat consilium, utpote *cui unus metus, si intelligere videretur* (Tac. lib. 1. Annal) Præstitit id Matthias cedens tempori, Joannem Vitezium revocans à Casimiro, Nicolaum Vilachum à Frederico, probè gnarus: *nihil ausuram plebem Principibus amotis* (Tac. lib. 1.) vel eoque ut flumen in plures divisum alveos vado transfiri potest, sic vires omnes casuras. Ad hæc opportuna ratus ventura tempora, ubi se leonem Majestate suâ ostenderet, atque in perfidos tureretur, & vel idèd famulos junxit semper fortuna jugales.

Summa hæc esto: candidum animo, consilij tectum, diffidentem omnibus, fidentem probatis, bello cautum consilio, celere executione, Principem palmam ferre, quid verò horum sine providentia auspice, ducéque? Horum si inops, contemptui Majestatem fore non dubitet, ut sine rectore navim: si dives contrà ingenij atque prudentiæ: circumspeditionem malitiæ: prudentiam dissimulationis; cautelam doli nomine insimulari in se intelliget. Hunc tamen in scirpo nodum ut vi-

tet

tet Princeps , & sinè auriga Prudentia : qui fecerit, erit mihi magnus Apollo.

COLUMNA V.
JUSTITIA.

Fulcrum Civitatum Platoni (*De leg. 2.*)
justitia quanta in Matthia ? scriptum , do-
ctumque veterum, absque justitia Principatum
gerere , ne Jovem quidem ipsum posse. Re-
ctum , & sapienter quidem regnum intellexisti,
quî ergo sine hac ? Ades attamen , è lineis con-
fiteri Apellem. Bicipitem, qui virtutem hanc
adumbravit, is optimè : Justitiâ puniendi cri-
mina , servandi pacta & fœdera.

Quæ damna 28 circiter annorum tempore
prædonum Swehlâ Duce nova molientiû tur-
bis oppressa , infestata , miserumque in mo-
dum direptionibus & populationibus desola-
ta Pannonia passa sit , ad libellam statuerit qui-
vis, qui quid Phalaridi Scironique in votis sit,
novit. Tulit invita jugum Hungaria , dum æ-
mulus Gordio huic reperiretur mucro non Ma-
cedo , sed Pannon : repertus in justitia Mat-
thiæ est. Obsessis ad Tyrnaviam anno 1465.
in arce Kostolán latronum horum Carthagine
supremis viribus ; victis , vincâisque 7 milli-
bus

bus, sumptum de reis supplicium, primùm-
 que de Principe & authore laquei, ut campa-
 na corvorùmque fieret pabulum improbus,
 qui turbarum novarum campana, & præda-
 tionum corvus longùm antè exstiterat: di-
 gna perfidiæ merces. Putruère serpentis Bohe-
 mi obtrito capite cætera exfangvia membra,
 ferro, fame, tormentis perdita, unum hoc
 relinquentes, quòd *FUERINT*, jam etiam,
 quòd *infeliciter*, per quos diu regnum infelix.
 (*Bonf. et Ranzanus.*)

Ut in seditionibus comprimendis partim
 Principis ipsius plurimùm valet præsentia in-
 trepida, quemadmodum (*Tac. lib. 1.*) *Divus*
Augustus vultu & aspectu Attiacas legiones ex-
terrui; & quoties vocibus truculentis streperent
militēs, viso rursus Casare trepidare ceperunt:
 partim verò celeritas adferendi auxiliij, dum
 parva sæpe scintilla contempta in magnum ex-
 citetur incendium. Compositâ anno 1466.
 perduellium Transylvanorum novum sibi, in-
 vitum licet, Principem Joannem Comitem S.
 Georgij eligentium seditione, cum fortuna-
 rum integrâ potestate relictâ mitem exilij ad
 constitutum diem tulisset sententiam; commu-
 ni seditiosorum capitum perviciâ contigit,
 ut ultra tempus regiâ autoritate decretum e-
 xilio Cibirij, nobili Transylvaniae Urbe, mo-
 ras necerent perduelles. Advertere id pri-

mum Matthias; ut æquum, animo commo-
 veri; neque mora, in moræ reos animadver-
 tere decernit, supplicio unà affici jubet. E-
 xemplo futuros cæteris ac documento, perfidi-
 am ut suo nunquam non Regi iniquam esse re-
 sistendo, sic quòd dignis in Principe sequa-
 tur ultor à tergo Deus. (*Bonf. D.4. l.1.*)

Mitiori his pœnâ comes, quia mitioris re-
 us & culpæ, fulmine pressus Matthiæ, Petrus
 Colocensis Archi-Episcopus. Ea homini co-
 ram rege differendi pro familiaritatis jure li-
 bertas, ut unus omnium dicendorum pote-
 state præditum se crederet, & crederetur. Hâc
 fretus spe, sæpe dolosâ, damnare insolentia
 passim ausus tributa, quæ ter quaterque quot-
 aânis ob ingentia diversaque bella imponeban-
 tur. Ausus hæc quidem incautus, ac nesci-
 us, durum esse latrare in eum, qui jura vitæ
 necisque, secundæ adversæque unus regeret
 fortunæ. At quoniam multum fere interest,
 quis, quæve dicat in Regem, eam obtinere cæ-
 pit audacia vim authoritatis in populo, ut
 inter Procereæ æmulatio non obscura nascere-
 tur, in vulgus eò faciliùs manatura, quò pro-
 nior est, horum columine si fulciatur. Con-
 suluit suo tamen decori, regni emolumento
 Matthiæ justitia, cùm observatione ac amore
 postposito, honestâ per arces custodiâ, lingvæ
 fræna contrahere jussit ac docuit. (*Bonf. D.4. l.6.*)

Prodigio simile, quia & innatæ mortali-
 bus imperandi libidini, gloriosæ Matthiæ
 indoli æmulum, quod de eodem idem (*Dec.*
4. lib. 2. § l. 4.) In Transylvaniam & Transal-
 pinam selecto cum milite ad capiendum Dra-
 culam profectus Matthias anno 1466. quin po-
 tiùs ad amplissimam segetem laurearum &
 gloriæ. Pari pressus Austriacorum, Viennensi-
 um cum primis perfidiâ Fridericus Cæsar, eo
 conclusus circo obsidione acerrimâ, ut in ar-
 ce Viennensi circumventum, consilij, copia-
 rumque vindicum inopem quisque sibi depo-
 sceret æmulum, Majestatem captivam sper-
 neret, servituum dominum temerè provo-
 caret. Audiit hæc Matthias Cæsareæ, ut di-
 ctum, dignitatis odio ardens; quin & litte-
 ras clam ad se missas videt, resignat, legit
 affectûs Austriacorum in Regem indices, va-
 des unâ, si civitatem ei in votis accipere, si
 in potestatem Austriam, cùmque hac Impe-
 ratorem redigere, dicto citiùs volenti, veni-
 enti, victurôque daturus se omnia pollicen-
 tes. Dijs enimverò, non hominibus compa-
 randus hic animus, cui hoc non moveri tra-
 hique magnete datum est Cælitus. Ridet
 fortuna aurea, invitant instantissima postula-
 ta conditionis & imperij recipiendi, unus non
 movetur Rex, quia Rex non tam suorum, ac
 sui. Non metuit fortunæ fragile vitrum
 rum-

rumpi sæpe, cùm splendet, splendoreque fascinat aciem vel aquilinam; non dubiam dolo forsitan tegi Viennensium perfidiam, at unus diademate dignus Regem moratur obex, is nempe: ne *quid in Patrem*, ut appellare eundem in more Matthiæ, *impij committere videretur*. Habetis facti, quo justitiæ amantem Principem sacretis æternitati. (*Bonf. D.4.1.2.*)

Quid ea, quæ? cuive comparanda in propugnanda cum Religionis, tum Majestatis auctoritate Justitia? Astræam Cœlo delapsam credas, nisi hominem Matthiam Orbis novisset, quia sic pro Cœlo, & dum pro Cœlo, pro se Regnóque certantem ac stantem. Cramben non recoquo iisdem littoribus dictam Columnâ primâ; digito indicâsse suffecerit. Legum Patriarum (vetabatur id etenim) Regiique Imperij contēptores hæreticos, Hungariam ausos subire, fidemque alienam à S. Stephano prædicare populo Mariano, extemplo ante Budæ universæ, mirantis justitiam, gaudentis pietate, Religione triumphantis aspectum cum liberis vivos sepeliri jussit Matthias, eo solo reos, quod hæreticos; indignos terrâ ac luce, idcirco stygi æternisque tenebris mancipandos. Indicare Justitiam tantam sat est, futuram Orbi exemplo, forsitan & pudori, æternæ certè Matthiæ panegyri. (*Szent-ivani Memorab. Hung. Catal. 76.*)

Fundamentum Societatis humanæ , ut Plato nominat , fides in pactis , justitiæ pars, par in Matthia ; maxima , ut cætera. Bellum gerebatur à Matthia in Bohemiæ Regem Georgium Podebrachium , Pontificiâ autoritate damnatum hæreseos , virumque ut ætate, caliditate sanè principem. Incitas eo bello, expugnatis multis præclarisque Urbibus , Georgium legere , mitiorâque meditari compulit Matthias. Meditatur , decernitur fide pactâ patienti campo colloquium , tractata rei summa inter Reges sapientiâ summâ ; confectis, suam quisque domum repetijt. Filij Regis Georgij , Victorini erat maximo nomen, arbitrio Patris comitati Regem Olomucium, urbem ingressi cum Matthia. Optimam, si unquam , adesse occasionem ratus Legatus Pontificis , belli tam atrocis ac pertinacis felici exitu, impendiorum compendio coronandi ; summis Matthiam obtestatur precibus, consultum iret fortunæ. Percontari tum Rex, quo id pacto fieret ? Bohemorum gentem bellicis instructam artibus, exercitus magnos, munitas Urbes. Compertum esse , quantis laboribus exantlatis Olomucium ac Bruna sint expugnata. Legatus contrâ : regijs conclusos retibus pisces nobilissimos , Regis Georgij filios, Victorinum cum primis animo nulli secundum , spem Patris : quo capto , præ-

cluso-

clusoque retibus, bella finem sint nactura optatum: Patre hâc captivitate fracto deditioem facturo. Neque infamiæ suspicionem pavendam, ut qui Olomucium urbem Regem secuti subiêre, nullâ reducendi præscriptâ promissione. Quid ad hæc rex? regia: *Filij Georgij Regis mecum Urbem ingressi, credentes sermone meo. Blandè enim eos in toto itinere sum allocutus, habitâ de varijs rebus oratione. Quamobrem nunquam à me capientur, sed honorificè dimittentur. Nam apud me idem est, vel vultu, vel nutu, vel signo, vel aliquo modo speciem amicitie & salutis ostendere. Qui enim scripturâ, datâque fide inimicum illæsum dimittit, is non fidem, sed verecundiam extimescit. Quoniam scripta fides offenditur, si quid adversus inimicum statum proditiõis argueretur. Qui verò sincero corde fidem colit, sive scriptura, sive verbum, sive nutus intercesserit, eundem per seipsum exhibet. Caveas posthac in regno meo his persuasionibus uti. Talia enim exempla semper abhorruimus. O verè Regem! quia alijs superavit cæteros Matthias, hoc uno major Matthiâ Matthias (Galeotus. cap. 1.)*

Strenui cujusdam Hectoris operâ militiæ usus frequenter Matthias, felicitate generositate animi comitante in milite. Germanus erat, sacramenti sanctitate Friderico Imperatori obstrictus, rediturum se sub signa Cæ-

farea, ut primùm intellexerit galeam fumen-
 dam & clypeum, in arenam descendendum Au-
 gusto. Audiit Matthiam inter ac Fridericum
 Bellonæ classica intonari, hastasque inimico
 solo defigi. Fidei memor, stare constituit.
 Regem adit, abeundi veniam orat, sacramenti
 sanctitatem causam commemorat. Durior
 petitioni primæ Matthias; quis enim justum
 esse contendat, tot laurearum capiti messis
 tempore rudem dare, quod pacis vere in spem
 hanc à Rege est altum. Obtendere rursus mi-
 les jus-jurandum, quod violare nefas duceret,
 si Regiâ liceret potestate. Magnanimus juxtâ
 justitiæque Rex amans, tametsi æmulum hoc
 sibi futurum Caput ferret ægrè, amicum di-
 mitteret ægriùs, moveri pietate tantâ nihilo-
 minus, propositum viri palàm omnibus lau-
 dare, pluribus & egregijs donis munerari fi-
 dem, cui jurisjurandi Religio, commodis pro-
 prijs, & regiâ amicitia potior; sicque dona-
 tum dimittere. I perge felix miles, ostensu-
 rus exemplo illud veritati eo Vatis lusu: *nulla
 fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.* Ve-
 rum esse contrâ in Matthia Pythagoræ illud:
 (*Ælian. lib. 12. cap. 59.*) *duo esse hominibus data
 longè pulcherrima. Veritatem amplecti, sive ju-
 stitiam, & alijs benefacere; utrumque autem Deo-
 rum immortalium operibus comparari posse.* Pen-
 sa factum Matthiæ, & statue (*Galeotus c. 17.*)

Inter

Internecinum inter Matthiam & Georgium Bohemiæ Regem fervebat bellum, molestum suâ, diuturnitatis causâ molestius, pari Regni, Regis, Romæque sumptu atque impendio. Adest tum (quid enim non ausit *auri Sacra famæ?*) eorum nonnemo, qui quia audaces fortunâ Comite ac sponsâ plaudunt, pollicetur Regi, gladio se perempto Bohemiæ Rege hæreseos Parente, bello finem daturum, uberemq; chalybe uno necessitatis ferreæ lauream Matthiæ nomini allaturum, si pretium operæ 5 aureorum millia penderentur. Chyrographi regij fide confestim spondet Matthias non hæc modò, verùm amplius huic Romanæ Clæliæ æmulo se daturum, si audaciæ fortuna secundet. Recepit Rex prævidens, non fore facinoris copiam, eoque nec ullum discrimen. Sopiunt, magnos impetus tempora; sin minus, infirmant. Desperat alter, metu capitis lege Thyestæâ premendi, temeritate ob fidum satellitium Regiû adverso sine coronandâ. Vulpes pilum, non mores; consilium hic mutat, non animum. Scenæ se aptans, leoninâ penetrare posse diffidit, vulpinam tentat, veneno promissa spondet facturum. Vetat Matthias, ferro non toxico pugnandum esse Romanorum ad normam sic asserens: *frustra de Fabritio legissem historias, qui ad Regem Pyrrhum Romanorum hostem acerrimè scripsit, ut à familiarium veneno careret; quidam*

enim ejus mortem promittebat. Romanorum contra esse quidem peculiari jure domesticum agere fortissima quæque, at gladio, non veneno. Quamobrem libros lectitamus, nisi ut optimis exemplis imbuti virtutem sequamur, vitæque vitium. Responsum regium! dixit, fecit: Georgium edocens per litteras, cautum Saluti suæ iret, prægustatis duntaxat uteretur ferculis. (*Gale. cap. 15.*) O virtus! & hosti, quia Regi; causæ æmulo, non personæ adedò sincera! quanta domestico? infinitus sim, si persequar omnia. Ultimam Sapientiæ domûs columnam confule; spicilegum esse licebit. Sat reor, quia Sapienti de sapiente

Paraphrasis.

MENS Dei, harmonia Reip. Majestatis præsidium, virtutum præstantissima justitia. Quâ, ut cum divino loquar legislatore (*Plato*) nihil melius, cum *et principatum virtutes inter obtineat, et earum sit ornamentum.* Quid hac sine laudabile in Principe? quærit Romanus Orator: quâ è divino oraculo (*Prov. 16.*) firmatur folium. Nemine leges audente transgredi, metu semper custode præsentis, ne fulminet bilanx in verticem; præsertim in maximis malis, ubi ipsum juri dicundo Principem cernit adesse, sic intendentem omnibus, ut velut anima tota in toto, & in quavis sit par-

parte, metum potentiae ac Majestatis perinde incussurum. Certum etenim (*Sen. Thyest. act. 4.*) *ubi non est pudor, nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est.* Erravi non regnum, sed latrocinium dicere debebam. *Remotâ enim justitiâ unico regnorum columine, nihil esse regna, nisi magna latrocinia,* sentit magnus ille (*L. 2. de Civit. Dei, § 4.*) Ecclesiae Hipponensis Antistes. Quo fine creati olim Principes? Audi Hesiodum: *hoc uno Reges olim sunt sine creati, dicere jus populis, injustaque tollere facta.* Tolle finem, diadema regni sustulisti. Exulet justitia, hospes erit impunitas scelerum, gloriae dabitur perfidia, jura dabit impietas, fraudibus, vi, latrocinij, caedibus, rapinis omnia subruentur. Multitudo ferè non rationi paret, sed necessitati: minorem sensum honoris habet, ac doloris.

Neque tamen utilitate metienda justitia, quod Lacedaemoniorum & Turcarum; contra verò Atheniensium per Themistoclem & Aristidem. Quæ enim hæc oro justitia? amentia crediderim magis est, auri sacrâ fame parente, ut quondam argentanginâ Demosthenis. Sanctissime Ferdinandus ac Fridericus Cæsares, ille crebris usurpans sermonibus: *fiat Justitia, aut pereat mundus;* hic verò Ladislaum ephæbis nondum majorem Hungariæ & Bohemiæ Regem educans, suadentibus nonnullis hiru-

dinibus potentiae regnandi, unius corporis
 utili magis, ac honesto casu potentissima sibi
 regna ut vendicet, reponens: *Quid? potius
 divitem, quam justum Regem me vultis.* Princi-
 pem sane vel ideò dignum se solijs ostendens,
 quòd amore justitiae solia detrectaret iniqua.
*Regibus, enim diverbio veteri, è multis, regnum
 cui sufficit unum, vix Rex unus erit. si tamen unus
 erit.*


In contemptum legum ac infidelitatē con-
 spirandum Principi semper, ne cum Fide pe-
 riclitetur authoritas. Sic tamen, ut tametsi
 lustrandis excessibus aquilinâ sit acie, &
 cognoscat, Themis attamen semper sit, non
 Rhadamantus. Turpe etenim, obtusa adeò
 gestet si pectora Princeps, ut in Cyclopem ab-
 eat aut Phalaridem. Abusus hic erit justitiae,
 non usus; atque uti *justum Principem nil habe-
 re, quod metuat*, fidenter non minùs ac auden-
 ter edixit Matthias (*Galeotus c. 19.*) cùm ve-
 nenum sibi paratum audiret; sic metuendum
 vel maximè, non justis sed Tyranni nomen
 nundinaturò. Cum tempore curanda multa,
 tempore debilitanda. Pharmacum præcox
 crudelitatis sæpè contulit nomen, quod diffi-
 mulatio & dexteritas latura remedium non at-
 tulisset. Feriendi fontes sunt fulmine, ut uni-
 versum tonitru regnum terreatur; multis ter-
 ror, paucis poena.

Justitiæ, si virtutibus cæteris, ipectanda cum primis tempora, causæ, modus. Paucorum scelera in Remp. dissimulanda nunquam, plurimum nonnunquam. Venia danda minoribus, majoribus pœna. Nec ea privata, sed publica; ne diffidentia censeatur justitiæ, aut metus, quod aut honori fontis, aut indulgentiæ datur affectui. Nulla Procerum statuenda impunitas, cum scelus admissum Manliana meretur imperia. Proxima namque excidio littora, cum potentiæ aut dignitati cujusquam impunitas est comperta. Principio tamen in religionis hostes servanda sanctitas rigoris adamantina. Hic enim verò Æacum te exhibe, clementiæ in sacrario statuam meriturus. Tres Petri Arragoniæ, Castellæ & Lusitaniæ visi olim regnantes, rigido omnes arcum nervo tendentes: crudeles gemini, & affligentes suos: aureo felices sæculo tertius suas reddidit provincias, quia severâ, sed verâ justitiâ moderatus: dum pax alta Lusitano domestica, opes comites ac gloria: Mars alijs, bella rapinæ inexplebiles.

Hæc justitiæ regula in domesticos, par sit in externos fide incorruptâ pactorum. Attica Principi semper sit fides, nec Malææ cedens: aded ut è mente Isocratis, *major dictorum ejus habeatur reverentia ac fides, quam juramentorum in alijs.* Nihil enim sic Principis est, ac tena-

cem adeo dictorum, ut quod promittit, oraculum sit. (Faber in Alphab. sent.) Imò hoc uno salus stat. Testor Ladislai, Matthiæ præcessoris, Regis exitium : nōne eādē die fatis cessit, quā perfidus fratris loco habiturum se spondens, Matthiæ fratrem Manibus accensuit 1458. eadē Matthiæ moliturus funera, nisi funus ipse prius, & pœna perfidiæ. (*Ranz. in Ladislao*) Nōne Hungariæ desolationem, luctūque Mohacsiana attulit clades 1526. & Warnensis 1444. Lunæ cornibus insidere tum jubens destinatā Christianis lauream, cū testis rupti fæderis ab Amurathe sumptus codex, à barbaro in Uladislau. (*Bonf. & Ranz.*) Fatendū equidem : *Fallere fallentem, fraudēque repellere fraude, exemploque licet ludere quēque suo.* At stratagematis id tribuendum, non fœderum pactorūque fidei temerandæ. Stat veritas : & hosti servanda fides. Ut quondam Franci cus I. Galliæ, suadentem, ut Carolum V. (per regnum enim Galliæ, Urbēque fide datā iter susceperat) gloriæ ac honoris Gallici Mastygem ferreum injectis manibus retineret, magnificè hæc : *absit à nobis tam turpis & fæda perfidiæ nota. Etiam si fides toto orbe exulet ; Regibus tamen tenenda est, qui nullo metu, nullā pœnā, nisi virtutis & fidei reverentiā, ut eam præstent, cogi, obstringique possunt.* Liceat nam-

námque privato hunc callem prætergredi, nefas erit Principi id cum magno ingeminante: *facerem id quidem, si Parmenio essem, at Alexandro nequaquam licet.*



COLUMNNA VI. CLEMENTIA.

PRæstò semper vindex gloriæ, juris, Majestatis, mucro Themidi est; nec tamen tam averſus equos tyria ſol jungat ab arce ſemper, ut flecti non poſſit unquam. Nulla in Majestate virtus plus dignitatis habet atque ſplendoris, clementiâ. Hâc proximus ſuperis Princeps. Quid enim regium divinumque magis, ac parcere ſupplicantibus, erratâque mortalium, cùm tutò fieri poteſt, facilitate potiùs, quàm ſeveritate corrigere? Et verò hâc quòque Princeps Matthias. Principio námque diadematis ſumpti, nîl ei clementiâ & manſuetudine potiùs, eâ quidem dexteritate, *ut hâc unâ mirum in modum ſibi populos conciliaret.* (Bonf. D.3. l.9.) Augebat quippe ſplendorem Majestatis, & tantum Principem ſpectantium admirationem, quod in regali ſtaſtigio, non ſtaſtus, non elatio animi, non difficultas aditûs, non janitorum improbitas, ſed

sed ea excubârit mansuetudo, benignitas, atque clementia, ut nemini adeundi Principis facta sit copia; qui *non modò gratiâ, sed aspectu duntaxat vivæ clementiæ non se profiteretur beatum.* (Bonf. D.4. l.8.)

Hæreditario id nempe jure cum sanguine Matthiæ congenitum. Georgius Serviæ Despota in Amurathem Othomanum intonare classicum coactus, cum viribus impar hosti tanto, auxiliorum quoque inops consilium in incerto requireret, ad offensi quantumvis Joannis Corvini pedes, velut aram clementiæ confugit, oravit, impetravit. Immemor simultatis Corvinus, memor contrâ excelsioris esse animi proximum quemque beneficijs, quam vi armisque prosternere, quorum alterum consummatæ probitatis; temerariæ alterum est fortunæ officium, suppetias tulit, belavit ut semper felix: victoriâ duplici, & sui, & hostis barbari triumphavit; hâc tempori & Despotæ, illâ sibi & æternitati gloriosus. (Ranzan. in Epitom.)

Quid Romanis, à quorum sanguine Corvinus, proprium magis? quam pietate atque clementiâ amplius his in locis, ac Marte propagare imperium? hujus beneficio Pannonia utraq; Messalæ Corvino olim atavo obvenit, consideranti potius, quid se deceat, quam quid externorum injuriæ mereantur. Par linea
Mat-

Matthiæ ordine ut temporum, & bellorum, sic & clementiæ. Primus ejusdem flos bello in Transylvanos cæpto 1466. His namque valido compressis exercitu, metúque exanimatis, cùm tollere vitam licuit, in fortunas sævire satis duxit. Legem rogat perenni perfidos multari exilio, eâ tamen conditione, ut ad statum diem regni limitibus sibi nôssent interdictum, integrâ quocunque visum foret cum fortunis se conferendi potestate relictâ. Dignum fanè judicium, quod cùm non vitæ modò, cujus rei agebantur, sed & fortunarum daretur libertas, omnes in admirationem clementiæ, perfidos porrò in venerationem juxtâ ac pudorem rapere, mitiùs secum merito suo actum confitentes: ipsos imò suâ desperatos sententiâ sibi reddere. (*Bonf. D. 4. l. 1.*)

Palnam præripuisse omnibus, tametsi maximis, eo clementiæ argumento Matthiam jure censuerim, quo Gúscram unum Bohemorum Ducum de numero, copijs attritis, partim vasa legere coactis se subjicientem victori gladio, & reddentem adempta, non modò apud se morari, stipendia facere, verùm etiam Lippâ & Solio oppidis, 25. item aureorum millibus donatum illustri Procerum Hungariæ affinitate (Michaëlis enim Orfság viri nobilissimâ Palatini dignitate aucti nactus est filiam) jungi præcepit. Quibus eâ fide sibi, suâ jam perditum

ditum opinione , at redivivum clementiâ devinxit , ut supplicijs se dignum censens, fufis lacrymis ac jurejurando fidem obfequiûmque perenne Regi facraret. (*Bonf. D.3. l.10.*)

Nihil attinet illustre pariter illud clementiæ regiæ argumentum dictum alibi memorare, quo frequentibus à Friderico Cæsare petitus injurijs, expugnatis subinde æmulo Marte 1477. compluribus Austriæ oppidis, Tulnâ videlicet, Cremsio, cæterisque nullo adverfo coactus exercitu, Viennam quin dirâ premens obsidione, missis ab Augusto Legatis ad clementiam, pactâque pacis inclinari se sivit dicens ; *Quamquam pactionum jure capta reddere non debeam, Cæsareâ tamen & paternâ Majestate visâ, cuncta quæ cepi, ei sponte reddo. Cedo Austriâ, ut obtemperantis piique filij animus quandoque noscatur, & me plus otij, quam pacis amatorem omnes intelligant.* Neque minùs dictis exhibuit opere , cunctis Marte subactis suo redditis Augusto. Nolo idem terebrare milium, ampliora en clementiæ decora.

Casimirus, Casimiri Poloniæ regis filius ; perfidiâ Hungarorum Procerum, tot bellorum impendia graviter ægréque ferentium, ad regnum capeffendum cum 20. millibus evocatus, in Nitriensi oppido cum suis castra constituit. Infelix enim verò credulitate suâ , an magis regni aucupandi libidine Casimirus ,
nisi

nisi felix tutusq; legitimi Regis Matthiæ clementiâ. Venit continuatis itineribus Matthias, ad frugem perfidos sollicitat Proceres; videt Nitriam, solertiam Polonorum elidit, castra gemina adoritur, diripit, urbem obsidet vincitque felicitate tantâ, ut Casimiro pacem petere coacto, non modò intenipestâ nocte emigrandi veniam donârit, verùm etiam lautè habitum, amplissimisque donatum muneribus beneficio pacis sit profecutus; stupore majori, an amore regium complens pectus, problema esto clementiæ, vel eò sapientioris, quòd officio hoc æmulû, hostémque conciliârit, ac triumphârit; illo animum, hoc vires bellicas; utrâque dignâ Rege virtute. (*Bonf. D.4.1.3. Ranz. Indice 34.*)

Metas statuat exhibitæ cæteris clementiæ celebre factum Austriacâ in Fridericum expeditione. Neapolim Austriæ obsidebat miles strenuus ac impiger; eludebat conatus, non constantia modò, sed pertinacia civium: quâ si valeant urbes, vel fortissimis heroibus æmulis minora facessunt præsidia moram eo molestam magis, quo diuturnitate temporis impedit virtuti iter avidæ majora patrandi. Spectabat hanc Matthias æmulus, vindictam urgebat justitia, & spondebat certissimam, cum urbe captâ licentiæ campus apertus militari. Obstabat innata clementia, vel in hostico

ftico fui ftatuere volens monumenta fplendoris. Hâc fretus Duce ac Judice in feptimum menfem producere obfidionem maluit, ut fame feſe victori urbs dedere priùs, quàm ſtrage civium in captam victori urbem cogereturfævire. (*Bonf. D.4.l.7.*) Jo triumpha Rex urbe deditâ fortitudini ! triumpha magis clementiæ parcenti & vincenti ! *cui fortuna etiam adjuvamento eſſe ſolet.* (*Cic. Rhet. l.3.*)

Domeltica virtutum Palæſtra documento hujus Hungaria careat ? ô ſancita vel ideò Regis, quia clementis longè ſanctiſſima ! unum 1486. anni in perduelles quantum ? & publicis regni Comitijſ juſſum : *reos violatæ fidei regiæ dies tantum 15. domi tenetor ; interim pro eo ſupplicare, innocentiam tueri, ad Regem tutò cuivis adducere fas, ultra verò nefas eſto.* (*Bonf. D.4.l.7.*) Ergóne non illico cauſâ cadat perfidia ? novum genus clementiæ, quia ſummum in ſummo Capite.

Glorioſa in Principe clementiæ decora, glorioſiora attamen, ſi juncta juſtitia. En fædus virtutis utriùſque eò mirum magis, quo rariùs vel in virtutum prototypis. Periculum atquè infidiæ in Eberſtorſſij obſidione Matthiæ ſtructæ, immiſſo in cœnaculum globo, & malè materiata domum penetrante, quis nescit ? qui ſupra dicta legit. Manſit altâ mente repòſtum in authorem facinoris Vieñâ

captâ inquirere. Quæritur, communi suffragio in Hiereslai perfidi scribæ caput in jus itur. Perquam familiaris hic Regi, vinculis mancipatus & carceri, tortus demum fatetur: *clam se oppidi præfectum monuisse, obsidionis libertatem nancisci non posse, nisi plumbeâ peste cænantem in proxima casa Matthiam sterneret. Signum, quis petendus esset locus, regia sella scopuli speciem mentita dabat. Ad hæc Viennensi in obsidione clam civibus è Bohemia Meraviaque sæpè annonam misisse.* Remissis tormentis, perfidiam cumulare ausus perfidiâ (ut fere, qui mentiri solet, pejerare consuevit) omnia hæc vi tormentorum, non veritate expressa, dictaque, nîl commissum à se in Regem criminis atque perfidiæ, ad hæc mortem subire malle, quàm eidem rursus subijci tormentorum atrocitati. Hærere hæc inter Judices, eodem ore de se calidum frigidumque pronunciant. Non tamen hærere clementia Matthiæ; facinore quamquam abundè comperto veniam pollicetur, si modò veniam precaretur. Negare contra reus, optimè se de Rege meritum contendere, equuleo adactum ad priora dicenda; vitâ malle multari, quàm veniæ petitione, precariâque vitâ pro confessio scelus haberi, & tanti facinoris infamiam sustinere. Tum obstinatione motus Rex, in jus vocari; Sententiam dici pronunciat; sancitum eâ ple-

cten-

Etendum capite. Vicit sic unà victaque est Regis clementia atque justitia. Bonum factum! Proditio, námque si clementiæ locum obstinatio non admittat, *celeri pœnâ est vindicanda.* (Val. Max.)

Paraphrasis.

Nihil tam peculiare Imperialis Majestatis, quàm clementia & humanitas, per quam solam Dei servatur imitatio. Divinè Justinianus L. ult. C. Summa quidem Deo justitia, sic tamen, ut ceu solis radios umbra clementiæ temperet: timorem illa, hæc amorem, ultraque venerationem extorquet. Justitia & pax osculentur se mutuò in Principe, ut illa probos ei devinciat, hæc improbos, ut ajebat Alphonsus: *Omnia scire debet, at non omnia persequi; nec pœnâ semper, sed pœnitentiâ esse contentus* (Tac. in Agric.) sic námque firmissimum ei futurum imperium, si subditos beneficijs magis, quàm supplicijs in officio contineat, illis enim benevolentia, his metus est comes. Quid verò quàm infirma throni basis est metus? Errat, qui tutum ibi Regem existimat, ubi nihil à rege tutum, remoto etenim infirmo hoc charitatis vinculo metu atque terrore, odisse incipient, qui desierint formidare. Apum è Romani Philosophi mente Regem aspice, nullus illi à natura aculeus, inermem iram ejus reliquit,

quit, ut exemplum sit magnis regibus ingens. Væ orbi: si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Jupiter; quippe, exiguo tempore incrimis erit. Et Rex si omnes, qui meriti, feriat, nullum non longè hinc est habiturus, quem regat. Gladius datus Principi, at terrori magis multorū, quàm ufui. Civiū contrà non servitus, sed tutela est credita; neque aded Resp. Principis ac Princeps Reip. Cum Aquila tela ministra gerat, cum Struthione tamen multa possit concoquere, non impietatis memor alienæ, sed dignitatis & decentiæ suæ. Semideus est Princeps, nîl Superis pietate proximius; nîl vitæ merito, clemētiæ ac lenitatis mansuetæ virtute. Sanctè Rudolphus Imperator (*Sylvius. 2. de ejus Gest.*) *severū & imitē fuisse me aliquando penituit, lenem & placabilē nunquam.* Pari laude Alphonfus Arrago: *Malo multos meâ clementiâ & mansuetudine servare, quàm paucos meâ severitate perdere.* (*Panorm. 2. de ejus Host.*)

Laudanda clementia, neque tamen cum dispendio severitatis, quàm Hiereslao Matthias exhibuit. Perniciosus Reip. magis nemo, ac qui nihil ad trutinam librat justitiæ. *Maxima peccandi illecebra spes impunitatis* (*Cic. pro Milone*) Meritò proinde sub Nerva dictum, pejus esse, subditum esse Principi, qui omnia, quàm qui nihil dissimulat. Etenim & omnibus veniam dare, & nemini, crudeli-

delitatis nomen meretur. Certum id, gravi-
 ūs sæpe impunitate, quàm severitate peccari,
 cùm sint nonnulli, qui non nisi magnitudine
 pænæ maleficio submoveantur. Cruentum
 erat imperium Petri Regis cognomēto Crude-
 lis, vitâ ob nimium rigorem exuti; at non mi-
 nùs cruentum Henrici quarti nimiâ lenitate
 & clementiâ immane. Metum enim illa, hæc
 cultum ac amorem conciliat, si moderata; o-
 dium ècontra illa ac seditionem, hæc contem-
 ptum atque audaciam, si immoderata. Secu-
 ram proinde ac diuturnam amas gubernatio-
 nem; Justitiæ & Clementiæ ama communio-
 nem medio tutissimus ibis.

Quæ domi diadematis est ornamentum &
 certissima salus, hæc belli quoque concilia-
 trix divina est. Audi Tullium (*orat. pro Mar-
 cello.*) *Victoriam temperare, adversarium nobi-
 litate, genere, virtute præstantem non modò ex-
 tollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristi-
 nam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum sum-
 mis viris comparo, sed simillimum Deo judico.* Fe-
 cit Matthias in Casimiro, ampliùs in Giscra, &
 vel ideò clementiâ immortalis. Nunquam ea
 Pompejo gloria ab armis, quæ à clementia;
 cùm Tygranem Armeniæ Regem dejectunt
 folio, victori subductum gladio, restituit so-
 lio. Cùm etenim melior ultione sit venia, ut
 ait Pittacus, gloriosior pariter esse debet pro-
 pte-

pterea, quòd mitis illa ingenij fit, hæc ferini.
 Quid Cyro infanius? Gnyden fluvium, in cu-
 jus transitu equus illi submersus, in 360. rivos
 dividi mandante improbo militum labore, ut
 injuriam injuriâ an infaniâ compensare vide-
 retur? Quid fædius Alexandro? de se ipso fa-
 tente, se dum Calisthenem mori cogit, Cli-
 tûnque occidit, Alexandrum non esse: secun-
 dùm illud Crispi Cæsaris symbolû: *homo non
 homo iratus. Infirmi nempe animi est, exiguique
 voluptas ultio, ut Satyricus canit. E contra: cor-
 pora magnanimo satis est prostrâsse leoni, Pugna
 suum finem, cum jacet hostis, habet. At lupus, &
 turpes instant morientibus ursi, & quæcunque mi-
 nor nobilitate fera est. Denique quò quisque est
 major, magis est placabilis iræ. Character nam-
 que Principum clementia. Hæc cum dissimu-
 lare potiùs, quàm ulcisci novit injurias, nîl vi-
 ro dignius existimat, ac vincere seipsum. Ut
 Fridericus Cæsar vel eò magnus quondam,
 quòd debellatis hostibus diceret: *magnum opus
 actum est milites, nunc majus restat, ut scilicet
 vincamus nosmetipsos, atque ulciscendi cupidita-
 ti frænum imponamus.* Hæc via tutissima, ut
 quis & domesticis cum Vespasiano *deliciæ ge-
 neris humani* dicatur Princeps, & ex inimico
 Pygmalion felix sibi fingat amicum, captum
 virtutis amore. Darius olim ex Tyriote in-
 telligens Sysigamben cum Occho filio libera-*

liter non minùs , ac castè ab Alexandro haberi , quid aliud auditus referre ? ac : *Dij Patrij ! si de me jam transactum est , precor , ne quis Africa Rex sit , quàm iste tam justus hostis , tam misericors victor. (Curtius)* En quantus vel in hostili clementia pectore Magnes . Felix proinde , qui & in seditione regni cum Matthia sic clemens , ut cum Sigismundo Cæsare victis hostibus non modò vitam opèsque relinquens , sed eosdem familiarium adlegens numero , succensenti id ipsum nonnemini Laurentio regni Palatino reponat : *Tibi videtur utile inimicum occidere , quòd mortuus bellum non excitet. At ego inimicum occido , dum parco , & amicum facio , dum extollo.* Felicior qui cum Alphonso Cajetam obsidente , & victis parcente , oblatrantibus ait : *pluris se facere vitas , quam centum Cajetas.* Felicissimus denique , de quo semper id , quod de Cæsarum speculo Theodosio concinuit Ethnicus (*Claud. 4. Cons. Hon.*) *Non insultare jacenti malebat , mitis precibus , pietatis abundans.* Penâ parcus erat ; paci non intulit iram . Post acies odijs idem , qui terminus armis . Profuit hoc vivente capi , multòsque subactos asperit laturæ commendavère catena . Verbo : *Quæ summa in summo quærentur Principe , solus aut habet hæc clemens , aut ea nullus habet.*

CO.

COLUMNA VII.

AMOR SUBDITORUM.

Felicissimè imperat, qui à suis diligitur (Faber in Alphas) diligitur, qui diligit suos. Et quamquam sciam mortalibus omnibus à naturæ inditum esse amorem Patriæ, & legum Paternarum religionem, at Principi maximè sit oportet, cui regnum Patria est. (Philo legat: ad Cajum) Fecit id amore Matthias, neque affectûs duntaxat, sed & effectûs munifici in bene meritos, quæ pars quidem Justitiæ. ; dilata huc attamen consultò, non dimissa. Nil refert memorare multis, ne corticem frangam eundem, quot quàmque illustribus locupletati muneribus, miles jurisjurandi causâ ad Fridericum Cæsarem dimissus, de quo *Columnâ 1sta*. Joannes Vitezius ob Galeoti litterati amorem, de quo *Columnâ 2^da*. Giscra diuturnus Bohemorum Hungariæ latronum primipilus, de quo in *Clementia*. Miles victor Regis in hastiludio, de quo in *Fortitudine*. Casimirus denique Poloniæ regis filius cum potiorum Procerum comitatu, de quo in *Clementia* actum. Viva omnes liberalitatis & munificentiæ Corvinæ argumenta. Ad deprompta in suos beneficentiæ

tiæ documenta progredior, seu quibus seditiosos revocaret ad fidem, ut cum in Casimirū & Uladislauum Reges 1471. pugnans, gemmatis poculis hostes plerósque Proceres, & cum primis Strigonienfem Archi-Præsulem suis studere partibus fecit sicque sine detrimento, gravissimo se bello liberans, cum vires hostium & pugnam detrectando attereret fame, & revocando minueret: (*Bonf. Dec. 4. l. 3.*) seu quibus fidos strenuósque Jano bifronti subditos in officio ac amore firmaret, stimulosque ad agendum patiendúmque fortiora excitaret. Loquentur hæc-

Inuictissimùm Moldavico bello pugiles, civicâ, obsidionali, & murali vel Romano in circo dignissimi, ante terminatum Agriæ 1467. Regni conventum magnificè donati: quos inter ut sanguine, sic virtute Princeps Nicolaus Banffi, villis compluribus ob rem optimè gestam locupletatus. Neque cætera militum merita oblivione sepulta. Lupus namque Despotes Bohemico bello strenuam navans operam, neque laborum periculorumque formidans aleam, egenus cum esset, dignum virtute præmium Castellum Fejeskõ tulit (*Bonf. Dec. 4. lib. 2.*)

Quid Stephanus Scepusiensis Comes, æternus Regis operæ, discriminúmque, vitæ ac fortunarum summo impendio Achates, nonne hono-

honoribus auctus compluribus ? ac Trenchinio oppido cum circumjacentibus pagis possessionibus ac vectigalibus, quæ Trenchinienfis juris essent., eo favore est cultus, ut ne successoribusquidem Regibus ejusdem oppidi, invito Stephano, ac successoribus redimendi potestas fieret, nisi 35 aureorum millium pretio. (*Bonf. Dec. 4. l. 3.*)

Etiámne Uladislauum Regem taceam ? quem fraternæ sibi necessitudinis vinculo sic beneficus vinxit Matthias, ut ei uniuersum domûs quâ eum exceperat, apparatus, aurea cubiculorum aulæa, stragula lectorum aurea, pretiosissimum item abacum, cum geminis restitutis urbibus : ad hæc Beatrix regina trabeam auro contextam, regales vestes, lectos lautissimos, & cætera cælibis Principis decora dono dederit. Nec vacuis dimissis geminis Ducibus Comitibus, ullóque Principum, aut famulantûm, A nemine aut hostium aut amicorum beneficio, ac magnificentiâ munificâ superari se passus. (*Bonf. Dec. 4. l. 5.*) Quo factum, ut & anno 1486. cum Austriaca profecturus signa formidaret, ne Uladislauum Fridericus sibi conciliare Regem Bohemiæ, sic nõ attriturus modò, sed enervaturus potentiâ Hûgariæ, amicitiam in conventu Iglaviensi renovaret facilius, donatâ rursus gematâ pro munere galeâ, & oppido, additis à Regina vestibus aureis; & felicius conservaret.

Quam amicitiam, si per avaritiam Fridericus sibi jungere studuisset, nunquam Austriæ Hungaria dominata fuisset. (*Bonf. Dec. 4. lib. 7.*)

Munificentiam liberalem magnificentia cultûs, regij decoris & amoris motivum excipiat. Communis certè vivendi hæc methodus Matthiæ semper, ut vel eò invisus foret Friderico frugi & parco, imò avaro, quia morum communionem Cœlo, quod ajunt, toto dissimilis. Pecuniarum ille magis, quàm honoris appetens, ad magna Christianæ Reip. Comoda vel suâ, vel alienâ culpâ animum extulit nunquam; hic liberalis suapte naturâ, bellicorum amans discriminû; otij & desidii osor; laboris & inediae tolerator acerrimus. Ille invidus, quandoque nobilia aliorum interceptit facinora, in pace bellum, in bello pacem constanti præoptans inconstantiâ: hic digna invidiâ gerere, æmulari Romana semper decora: ille cultûs modici, abstemius semper ac hydropota, solitudinis amator: hic vitæ lautissimæ, apparatus persici, relaxationis & voluptatum amator: ille denique pertinaciâ omnia perpeti, jacturam parvi facere, adversarium obstinatione fatigare, malle omnia perdere, quàm arcâ gazas depromere, sperare cunctando omnia restauranda; hic ingenij probitate facile cuncta remittere, omnia quidem absumere, ut è regno nihil imminuat, plus honori ac pecuniæ amoris tribuere, lætus præterea, hilaris & jucundus, ac ad omnia promptus semper (*Bonf. D. 4. l. 4.*)

Comitate, benevolentia, ingenio ac dexteritate ut majorum exæquavit exempla, sic successorum allexit. Promerendæ Procerum ac militum benevolentia domestica semper liberalitas atque clementia, ut fautorem; popularitas ac beneficentia in populum, ut Patrem effecit. Commune ei cum Optimatibus militumque Præfectis sic versari, ut Principem, unâ tamen & nonneminem eorum è numero venerareris, & amares consuetudine obstrictus, Nullus ei benignitatis & liberalitatis testandæ modus. Neque Procerû duntaxat Nobiliûmve hæc data gratia gratia, sed gregarij quoq; militis humilitati. Nîl peculiare Matthiæ amori, quod peculiarissimum censueris in omnibus: ægrorum per castra lustrare contubernia, regiâ sæpe dextrâ langventes pascere, pusillanimes increpatione hortatûque reficere, quin & in acie vulnera obligare; salibusque à Charontis littore mortuos revocare. Prodigium crederes, si quisquam cum Misijs & Rascianis, cum Bohemis & Alemanis, Hungaris & Cumanis juxtâ versanti insidias tenderet, tametsi domi militiaeque negligenti corporis custodia uso; ut cui fides omnium, & militaris cumprimis id fecit, ut publicâ ipsâ curâ & sollicitudine Pater omnium muniretur pectoribus. (*Bonf. Dec. 4. l. 7.*)

At domi par exteræ beneficentia officio

rum. Faciles hic omnibus aditus ; voti rei continuò ; non distractæ spes supplicum, neque per varios Aulicorum ordines ac Mæandros expectatæ, unius omnia benignitate Matthiæ data, gesta, erogata. Non illi janitorum, licetorumque caterva, non amanuensium greges, qui diu, multumque rogati, ut sitibundæ sunt hydryæ, vix epistolarum dignantur responso : cultu quoque (præterquam cum rei postularet dignitas, & Majestas, usus splendidissimo) communi contentus (*Bonf. Dec. 4. l. 8.*) Et quoniam *sæpe cives magis amicos peregrinatio facit*, ut ait ille (*Sidon. l. Epist. II.*) exacto bellorum turbine, Regnum ei cum Coniuge lustrare cura non minima, solatium reddere, juxta sumerèque studiosissimus subditorum alloquio.

Sollicitam regni curam è duobus collige sanè gravissimis. Quamquam universa vitæ negotiosissima belli domique otia nihil aliud doceant. Sagittam spinæ dorsi Moldavico infixam bello, cum dolo circumveniretur, meminimus in fortitudine ; utriusque premebat cura Matthiam valetudinis, ac Regni præcipiti bellorum cardine propugnandi atque firmandi ; quæ potior ? audi Principem, quia suorum amantem : *Sagitta spinæ dorsi infixam quamquam somnum intercipit, quietem adimit, & molestum cibum reddit, quotidie tamen graviores corpori loricas induxi, & contempsi dolorem,*
quan-

quando plus regni salutis delectationis attulit, quàm illa molestia. (Bonf. D. 4. l.2.)

Quin viam jam legebat Matthias, quàm dives præcessit Tullus & Ancus, ingravescente indies valetudine extenuari se sentit, nunquam tamen ei ullum à curandis domi forisque rebus quietis studium. Dic quanti huic Regnum? cui rerum omnium ut pretio, sic amore maximum (valetudo) pro regno minimi? (Bonf. Dec. 4. l.8.)

Summa rei amorisque Principum in subditos fulcanda sunt studia, moderatio tributorum. Dextimo ille sanè natus Apolline Princeps, cui sic tuta hoc in lubrico vestigia, ut nec tyrannum agat rigore, nec cereum indulgentiâ. Summa equidem ut Principum, sic Matthiæ felicitas, fidelitas Ministri, qui si infidus tributorum exactor, ut cum Laurentio Mediolanensi loquar Episcopo: est caput rapinae, lex violentiæ, prædo sine pudore, medicus exterminij, inmanior furibus; nam fur timens delinquit, hic autem confidenter. Fur laqueos Regis timet, hic quidquid fecerit, legem vocat. Quis eo iniquior, qui verbis justitiæ justitiam damnat, & armis innocentie spoliat, vulnerat, occidit innocentes? lege utique legem perimit, & dum alios urget ad legem, ex lege dejicit. Publicanorum autem à maximo usque ad minimum cæcus concussioni potius, quàm justitiæ vacat, & ita in populum de-

bacchatur, ut quod reliquit unus, alij non morentur auferre, tanquam ad hoc constituti sint, ut residuum locustæ comedat bruchus, officialis Cæsaris: nisi in omnibus acquieveris, Cæsari contradicis. Et quidquid dicit, nisi sit sic, & nisi sic stet, est in personam Regis, contraque Coronam: quidquid dixerit, ita obtinet, ac si inveniatur in actis. Cum aliàs habitâ moderatione inculpatae tutelæ, vim vi repellere liceat, conculcentibus officialibus, spoliantibus, torquentibus mutire non licet. Hæc autem omnia in Principem redundant. Singuli quippe tenentur ad singula, Principi verò onera incumbunt universa. Princeps autem regis nexibus dicitur absolutus, non quia ei iniqua licent, sed quia is esse debet, qui non timore pœnæ, sed amore justitiæ equitatem colat. Hæc ille sapienter juxta verèque; alius ab hac Ethopæja Minister, tributorum exactor Urbanus. Vir quantus, ea nôrunt sæcula, quæ virum tantum commerita. Ut cui probitas mira, inaudita cum integritate patientia, dexteritas ingenij, laboriosum obsequium, & incredibilis prudentia, ne tum quidem criminibus locum dare poterat, cum livor edax virum pessumdare nitetur. Jamjamque obtrectatorum crudelitate in eam Rex inclinaret sententiam, ut carceri manciparet virum, nisi innocentia, probitatis, ac fidei spectata ratio ut Regi comodissimum, ac sinè quo Regem commode vivere non posse

se credebatur, Reginae Cardinalisque Arragonij fratris preces remoram statuissent.

Agnovit fidelitati junctam dexteritatem Matthias, tum maximè, cùm necessitas eos Ministrorum revelavit candorem. Hamburgum obsidebat Matthias, æris militumque laborabant castra inopiâ, supplementa petebantur maxima. Accersitur Budâ Quæstor, necessitas panditur, cæpta maxima indicantur. Dimisso homini nihil additur à Rege, præterquam: *Urbane mi, quod nobis opus est, id pro industria, fide, diligentidque tua cura, prospicèque, & tu consiliorum, triumphorumque nostrorum, ministerium auxiliùmque vale.* Abijt, somo post die 4. millia militum in regia castra misit, non cogenda Regi, si Rex ipse Hungariam petivisset. Tanti refert, fido committi maxima. Quanti pariter interfit Ministrorum providentiâ insignium, non exfugentium uti operâ, ex amore conjice Urbani, quem sibi Regique conciliavit in populo, vel quod malim ex odio, quo sanguisugas Ministros tributa non petentes (sed prementes prosequitur, *(Bonf. D. 4. l. 6.)* ut meritò celeritate, & beneficij magnitudine Regiam excedente opinionem, assertum à Rege: sæculo talem Hungariæ virum non obvenisse, jurèque cultus idem pro omnibus, amoris, honorum, benevolentiaque augmentis immensis. Amorem populi pro-

videntia, amorque justitiæ, ampliorem verò ea fecit Matthiæ lex, quam favori suorum studens publicis Regni Comitibus 1486. sanxit: ne portoria plus æquo exigenterentur. (*Bonf. D.4. l.7.*) O Principem vel eò dignum, cui cum Peligno olore omnis accinat populus: “ Spiritus
 “ hic vacuas prius est tenuādus in auras, corpus
 “ & in tepido deseret ossa rogo. Quàm subeāt
 “ animo meritorum oblivia nostro, & longo
 „ pietas excidat ista die. “

Paraphrasis.

PRincipem regnandi dotem, metas gloriæ, studij, honorisque statuimus Principi, tum quòd ea semper prosequenda principio, quibus coronandus est vitæ terminus; tum quòd ut affectuum, sic regnorum ac Regum, Princeps amor. Amet suos Princeps, nê Tyrannus esse audiréque malit: è mente Thomæ Mori dicentis: *legitimus immanissimis Rex hoc tyrannis interest, servos tyrannus quos regit, Rex liberos putat suos.* Caput Rex, membra populus. Is ergo dolor sit Civem perdendo, qui membrum. Hoc uno nihil pensi habent membra periculum, dum caput integrum, succurrant Regi subditi. *Unum inexpugnabile munimentum, amor civium.* (ait Seneca de Clem. l.1. c.19.) quem alio magnete non attrahas, ac dilectionis. Fortissimum enim verò munimen, quippe

quippè non sic excubiæ, non circumstantia tela,
 quàm tutatur amor. Gallia hunc in florem ad-
 ducta uno Regum suorum amore & dilectione.
 Et quid mirum; amor adsit, alæ aderunt ob-
 sequendi studio; calybes ut mella excipient
 populi, securi à Principe, quem sciunt Princi-
 pem, Dominum dubitant ob amorem. Be-
 ne sentit amor, cùm se sentit adesse. Contrà
 quæ sit ea mihi Principis Majestas, quæ quia
 cum humana illa coronata bellua Nerone di-
 ligens neminem, invisa pariter omnibus, quin
 exosa. Oderint, dum metuant, ferina olim Ca-
 ligulæ vox, unum timorem, non amorem à
 subditis deposcentis: neque ea illustris Tibe-
 rij: oderint, dum probent; quandoquidem mare
 vulgi, in viso (Tac. l. 1. Hist.) semel Principe seu
 bene, seu male facta premunt. At non diligen-
 tem subditos metui esse quis dubitet? quem
 (en terminum) verò metuunt, oderunt; quem
 quisque odit (Ennius) perijisse expetit. Nulla
 verò vis tanta imperij est (Cicero) quæ premen-
 te metu esse valeat diuturna, quam velut filiam à
 Genitrice hac nasci est necessarium. Pepone is
 mihi sanè homo insulsior, Princeps cum pri-
 mis, qui dicat, nunquam se cum Seneca po-
 pulo voluisse placere, eò quòd quæ populus
 scit, ignoret ipse, quæ scit ipse, nesciat popu-
 lus. Ponenda nonnunquam Majestas, sumenda
 pietas & affectus. (Greg. l. 9.) O magnum Tra-

janum, facilitatis in admittendis supplicibus nimiae reprehensum, atque dicentem: *talem præstabo me Imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus.* (Dio. Cass.) Magnum Antonium, de quo Lampridius: *tam amabile fuit nomen Antoniorum, ut qui eo nomine non nitentur, mereri non videretur Imperium.* Magnum Rudolphum I. pauperes arceri cernentem, suosque his castigantem: *finite eos ad me venire, non enim sum ad Imperium vocatus, ut in arcula includar.* Magnos inquam orbe, gestis, famaque Cæsares, quia amoris suorum Prototypa.

Sentiet populus se amari à Principe, cum munificum senserit, atque benevolum. Liberalitate illum in benè de Rep. ac Marte meritos, hunc beneficentiâ. Felix qui benevolentia primùm potestatem fulcit, nullam enim hâc valentior, ait ad Arcadium Sinesius. Neque securior est Resp. ac ea, quæ munificentia Principis est constructa, quem scilicet cum gratum vident, non adedè metuunt, ac pro quo metuunt. Id verò quî stet sine amore, qui unus vigiliarum tot, curarum, laborumque Majestatis comitum struthio est, qui unus accinctus ad magna, ad difficilia promptus, felicitatis suæ populique faber est. Felicitatis suæ faber est sanè; cum amore geminetur imperium Principi, expugnentur sui feliciter ac
 facil-

facillimè sine impendio, dominetur in corpora, magis in animos, eoque totum in hominem. Amoris natura imperatrix est, adjuge tuo hunc imperio Princeps, omnipotens eris. Fundat Rex amoris radios in pectora subditorum; coget rationalis hic Phœbus ad omnia, non jubebit: nemo huic sapiens dominabitur astro, ejusdem cessurus amori in dominatum. Quid quod & eò felicitatis suæ faber sit benevolentia, quia salutis regiae. Regia sine publica stabit nunquam, nunquam publica sine amore. Tutus Rex nemo, cujus populo discrimen domesticum. Tutus verò, cujus tutum Imperium est, & ipse in amore. Quo si careat, ipsa ei metuenda erunt metûs remedia satellites, ciborum prælibatores, laturi terrorem, quem ablaturi creduntur. Benevolentia hæc unà præsidium fortissimum, satellitium ahencum, propugnaculum in timorem fidissimum. Hæc sine aut metûs, aut periculi sic plena Majestas, ut ipsa etiam sit metuenda securitas; quémque pro civium excubare salute oportet, suæ dubium semper decumanis affligi curis oportebit. Mancipium timoris, quia benevolentia hostem.

Qui benevolus, idem semper munificus. *Magis Regium sanè est dare, quàm accipere.* (Cic. 3. de finibus.) Imò id unum regale dixerim; cum è mente Justiniani (Collat. 4.) Principi au-

rum

rum contemnere præstet fortunæ fastigium. Ut præstitit Tiberio, qui solam illam retinuit, cum ceteras exueret, & ideo retentus Imperio est. (Tac. l. 18.) Omnia potest Majestas munifica, vel ferrum eliquat, adamantem flectit, fastigio addit gloriam & amorem: gloriam, ut Tito illi, qui deliciæ generis humani dictus; eò quòd diem perderet, quo non foret munificus. (Tranquil. c. 8.) Amorem, cum quisque facile se subternat, cujus cumulatur beneficijs. Verum denique efficit Principem, teste illo Magno Darij triumphatore quæsito, quis optimus Princeps? & reponente: qui amicos donis retinet, & inimicos beneficijs amicos facit. (Plut. in apoph.) Bene munificus de munificentia, quam sic ei institutor à primo indidit ungue: unum dicam, quòd nunquam cessavi dicere: avaritiæ fugam, & liberalitatis gratiam Regum esse gloriam, & regnorum firmamentum. Quandoquidem nullus felix motus Principis est, nullus concinns gestus, nulla actio è legum fit norma, nisi beneficentia sit publica, aut privata. Infelicior nemo Ferdinando II. visus, sed visus tantum, quia munificentiam secundus nemini, nemo ei pariter felicitate; excedere donando metas creditus nonnullis adeo, ut vir inter aulicos magnus sit solitus dicere: optandum è capitalibus duobus vitijs, avaritia, & ira, aliquid inesse Ferdinando. Nimirum & patienti ul-

ti ultra fidem , & munifico præter modum. Nullus donorum finis, non tamen satisfactum animo benefaciendi cupidissimo. Nova in votis erat aurifodina, non opum aggregandarum causâ, sed ut esset præ manibus, quantum vota aliorum deposcerent, quantum suus alijs amor destinaret. Expertus virtutis hujus efficaciam Matthias suos sibi arctissimè devinciens , generosos ad majora impellens , languentes excitans, perfidos ab errore reducens. Expertus detrimenta absentis Fridericus, qui teste Ranzano, si avarus nõ fuisset tot per Matthiam regiones non amisisset. Turpè deniq; si ulli, Principi fuerit, non habere divitias, sed haberi à divitijs; eoque non Principis divitias, sed Principem dici divitiarum.

Laudi data in Matthia munificentia , majori tamē moderatio in eadē. Et meritò, stat mediocritate virtus, hæc et tangit polū. *Perdere multi sciunt, donare nesciunt*, (quod ait Cic.2. *de offic.*) perdere inquã divitias, cum divitijs regnum, ac se. Fit námque ut immodicis largitionibus, cum Ægyptia muliere Antonio uniones diluēte, cū *erarium omne exhausseris, per scelera suppleas, rapinã scilicet ac tyrannide tributorū* (Alphonsus Arago.) ut Garfias Sanctius cognomēto Tremulus in more positum habuit; aut si immerentibus dederis, præteritis merentibus; majora odia consequaris eorum, quibus ademeris debita, quàm

quàm favorem, quibus dederis non debita (Senec. 9. benef.) *Cunctos obstringit* ait vir sapiens, qui merenti tribuit; neminem, qui immerenti: hic ingratus erit, ceteri infensi, & quidem meritò de nemine meretur, qui immerenti tribuit, nam & ipsi, cui dedit, nocet, dum materiam male agendi ampliat, roboraturus indigni malitiam. ita ille. Verbo stultiùs nihil, quàm quod libenter facis, curare, ut diutiùs facere non possis; cùm liberalitas liberalitatem destruit, & prodigalitas munificentiae derogat. Malo suo id experto Ludovico Successore Matthiae, cujus ea jaçtabatur profusio, ut congiaria Romanorum æquaret. Quo fine? ut rideretur postliminio, cum regiae vix apponenda mensæ suppetere. (Ranzanus.) Medium cum Matthia retine, quod semper tenuere beati.

Uno forsitan excessisse videri possit Idea nostra Principum, summo amoris subditorum illicio, onere tributorum, quo suos pressisse eum meminimus, adeò ut è 75 Comitatus circiter vix 9. fidem Regi debitam retinerent. Acerba nux fateor, neque tamen in Matthia, ut videtur, censenda. Multum interest, quo tempore exigantur tributa, bellorum maximorum, utpote Cæsarum duorum in Regem unum, ad hæc Bohemorum, in orbem velut rotante Bellonâ gladios, imminebant iliades: succumbendum erat, nisi belli impendio triumphumpha-

umpharetur ; premi præstitit , quàm perire. Pressi tantisper auctum lætati regnum, erepto Principe plura, si viveret, spondere. Equidem nihil fædius Principi , quàm si sangvisuga sit , qui Pater egenorum cum primis esse deberet , elogio cœlis digno. Nero is erat , beneficium conferens nemini , quin adjiceret ; *hoc agamus , ut nemo quidquam habeat.* Quo fructu ? ut invisus omnibus perimeretur Tyrannus. Tondendum pastori pecus ; vitium , si deglubere velit cum lana & sangvinem. Sangvis erat subditorum in ære Ferdinandi Regis Neapoli , quod S. Franc. de Paula expressisse legimus , & indicasse , cum tributis multis succum & substantiam subditorum hauriri. Sanctè Joannes primus Castellæ Rex lugubri indutus veste , quoties imponenda tributa : utpote cum & Joannes alter Nazianzenus nihil gravius & acerbius in divina condemnatione ob peccatum Adæ censuerit , atque tum venisse filium ejus , cum gravissimis orbis urgeretur tributis. *Imperando servire Rex debet* ut ait Gvigo. *Te enim ad subditorum utilitatem , non eos ad tuam inclinare debes voluntatē , quia non ut pressis , sed ut prosis eis , tibi comissi sunt : sicut S. æger medico , non ut ei dominetur , sed potius ut medeatur , committitur.* Atqui medela non est extrema egentium oppressio , qualis ea quondam Angliæ erat in tributis classi Danicæ pendendis , & fi-

sc.

fco subinde regio inferendis, regiâ demum E-
 duardi liberalitate remiffa teste Alredo Rhie-
 valdo. Quandoquidem exigere quantum li-
 bet, non quantum licet, hostis, non tutoris
 officium est; quo pacto non medici, Regisque,
 sed hostis, carcerumque custodis acturus est
 munus, qui tamen à Deo electus est, ut ser-
 viendo regat, regendo seruiat, & regnum ser-
 uet locuples, quin locupletet. Oceanus Rex
 fit, ebibat fluuios omnes tributa pendentes;
 sic tamen, ut regerat latices eosdem, secus ma-
 re hoc non amatuos, non petituos. Ad u-
 tilitatem populi, & veluti adipem referenda
 sunt omnia bene ait (*Cretensis in orat.*) Quod
 si negligatur, quid mirum & Divina vanescere
 munera, & humana tolli subsidia, quin acce-
 lerari discrimina. Utriusque specimen habet:
 rivulum mari vicinum gelidam aquam prope
 Edepsum fundentem emicuisse refert (*Athe-
 neus l. 3. Dipnos.*) cuius potus ægros plurimum
 recreabat, sed cum Antigoni Duces res Prin-
 cipis procurantes vectigal bibituos pendere
 coëgissent, scatebram evanuisse. In Tragæi cu-
 jusdam gratiam, ut Julius Pollux scribit, in
 Palude quadam Troadis salem condensavit
 Neptunus; unde cuius copia & potestas erat
 salis tollendi, at ubi Lysimachus tributum con-
 stituit nihil salis visum, donec vectigali re-
 missio copia salinæ præbita rursus. Idem ce-
 lebe-

leberrimis Alhamæ balneis in Hispania, idem salinis novi orbis (*Campecke dictis*) evenisse meminimus. Hactenus sublata charismata, en & pericula. Tributa Parisinos, manante universam in Galliam exemplo, in Carolum VI. concitavêre. Hæc Venetijs bellorum exhausto impendijs, in Rajnerium ducem lapides à populo tributis presso conjici fecêre. Hæc in Richardi II. & Henrici VI. Angliæ Regum, hæc in Justiniani Cæsaris caput Cōstantionpolis seditionem sunt molita. Et Salviano teste in quos referenda Bagandarum ad Gothos defectio, nisi in eos, qui *exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta verterant, & indictio- nes tributarias prædas suas esse fecerant. Qui in similitudinem bestiarum non rexerant traditos sibi, sed devorârant, nec spolijs tantum hominum, ut plerique latrones solent, sed laceratione etiam & sanguine pascebantur.* En rigidæ Matris oppressionis proles rigidas.

At nodus adamantinus Principum sæpe in adversum svadet & persvadet paupertas, nî tributa pendantur. O aureum Theodorici Regis effatum: *Illud amplius nostris utilitatibus applicamus, quod misericordî humanitate concedimus. Regnantis enim facultas tum fit ditior, cùm remittit; & acquirit nobiles thesauros fama, neglectâ utilitate pecuniæ* (*Cassiod. l. 1. Epist. 26.*) Imò præstat Regem pauperem esse, quàm pauperum
Re-


Regem esse divitem. Fabritius consultissime, malle se imperare divitibus, quàm esse. Eò certè inglorius magis Rex, quò ditior pauperiori servit Regno: & cui non hoc sine datus est, ut miserorum viscera laniet, sed ut tute- tur serviendo publico, nihil sibi quærendo. Serviendo dico, idcirco enim tributa pendun- tur, quia census obsequij sunt, quod suis Prin- ceptis impendit. Ut ergo chari Principi sunt famuli publici Ministrique non cari; sic ipse populo moderatis impensis stet. Nec felicita- tem caro mercetur impendio, ut procuratori non satis est obtinere causam, nisi cum emo- lumento, si non tantidem constet.

At esto, ærarium Principi siccum sit, be- nevolentiam suorum habeat, sat pingvis erit crumena: quin ditior, quàm si suo conclusum sinu Gazophilacium teneret. Et certè, quî egeat opulentissimi patrimonij dominus, ut cui necessitatis & commoditatis hora sup- peditare potest, quod anni cæteris non con- tulerint. Unus pro millibus, en Eusebius hæc de Constantino in vita Constantini comme- morans: Diocletianus succensere lenitatem Constantino, exprobrare per Legatos ausus i- nopiam, quod subditis parcendo, sibi foret iniquus, eosque tributis eximendo, se the- sauris viduum implicaret egestati. Audit hæc Constantinus, neque tamen aliter ac *Constan-*
tini

tini nominis hæredem decuit; morari jubet Legatos, locupletiores verò ditionis suæ cives adesse continuò, causas egestatis commemorat, maluisse benevolentiam uti subditorum, ac vi tributorum premere Remp: jam tempus esse, quo studium, gratia, opes, fidesque sint necessariae. Dixit Dominus, morem gessit benevolus subditus, certatim suas quisque facultates depromere, aurum argentumque conferre, ærarium omne complere, amore Principis, ut ferè fit, unum modum sine modo sciente. Hæc visa Legatos referre jubet Constantinus Diocletiano, ut momentum pene gazas adferat maximas, ut tutissimum Regum regnorumque gazophylacium indulgentia, & comes huic fides, studiumque sit populi. Laudavit horum in se fidem Cæsar, redditisque thesauris benignitatem suam non alijs, ac vitæ terminis definivit. O dignum Cæsarem, cui velut Matthiæ Corvino Orbis universus id eum Mantuano vate cantet elogium:

*Semper honos, noménque tuum,
laudésque manebunt.*





COROLLARIUM

Vitæ Synopsis brevissima.

Vidisti Principem gloriâ, gestis, nomine æternitati supparem, pugillo uno Lector benevole vitæ seriem habe. Originem, Natales, Patriamque Corvini inter clypeos ut nati, sic adolescentis semper, Hectoris Patris, Hectoris itidem Filij memoravimus supra. Bullam posuit, disciplinis utriusque Palladis cultus, sic utriusque sponfus, & procus, ut benignissimos ei Dea hæc, lauris in bello, in quiete oleis panderet aditus. Meruit sub Ladislao Hung. Rege Joannes Corvinus Matthiæ ac Ladislai Corvinae Genitor eâ laude, ut ei non modicum salutem suam in asserto ab Othomanis obsidentibus Belgrado (cui labori immortalis) in acceptis referat Christiana Resp. Fatis cessit Ladislaum & Matthiam vitæ, gloriæque linquens hæredes. Optimè præscio hujus viro Sanctissimo Capistrano, qui cum à dextris assistere semper jussisset Matthiam ætate minorem, à sinistris majorem, non immerito id à se fieri palam confessus his ferè: *nam regnum obtinebit, virtute ac gloriâ quâ Alexandro certabit, & Christianæ plebis propugnator erit acerrimus, cui si diu vivere licuerit,*
omnes

omnes Orbis Principes sui admiratione conficiet.
 (Bonf. Dec. 3. l. 8.) Dixit, dicta probavit sin-
 gulorum eventus. Erepto illustrissimo Pu-
 gile Joanne Corvino, æmulum suum Ciliæ
 Comitem Ulricum sustulit Ladislaus frater
 Matthiæ. Veniam Regis Ladislai non lon-
 gè hinc orat, deprecatus culpam, exorat om-
 nia. Perfidiâ tamen regiâ Budæ cum Mat-
 thia comprehensus, capite multatus ictu quar-
 to, summo plebis dolore. Servatus Matthias,
 Superis non adèd Juveni, ac Pannoniæ favere
 volentibus. Abductus cum Rege Viennam,
 servatus in custodia, Ladislao in nuptiales ap-
 paratus intento Pragæ versante, vitâque fun-
 cto, à Georgio Poidebrad Bohemiæ subinde
 Rege creato tentus: dum avaritiæ illicitum litrum
 pingve Adolescenti ditissimo redimendo veni-
 ret. Venit, cum ab Hungaris Budæ *Matthiam*
volumus esse Regem; hunc nostra pro tutela De-
us elegit, hunc quidem & nos eligamus: (Joan.
de Thurocz in Chronica Hung. c. 44.) inclaman-
 tibus electus, evocatus, salutatus. *Invidiâ pro-*
inde aulicorum ad mortem damnatus, sed Dei gra-
tiâ ab occisione Viennæ servatus, Pragam prope-
 rare coacto Rege perfido & perjuro (Ranz.) ibi-
 dem Georgio Podebrad spondens ejus se fili-
 am ducturum solium capessivit Matthias, Mars
 Hungariæ primâ Martij die Budam ingressus,
 ab avunculo Michaële Szilagio tantisper mo-

derante directus, dum annorum numero regendo par adveniret sapientia. Innata interim dexteritate moderatus sapientissimè juxtà atque fortissimè, bellis vacuus nunquam & triumphis, coronatus Albæ-Regiæ anno Mundi 5426. Chr. 1464. Conv. Hung. 475. Regininis 6tô. Eâ subinde felicitate bellorum, divinâ consiliorum providentiâ cuncta prospiciens, atque conficiens, ut dum in aula veritas, in bellis fortitudo, & laureæ palmas ferrent, Orbe universo clarissimo Matthias unus celebraretur nomine, ipsèque Magnus jure dictus Mahometes terror Orbis assereret: ego *S Matthias sumus inter omnes Mundi Principes digni, Principis nomine qui vocemur* (Joann. de Thurocz Cap. 45.) Triumphator ferro hostium, benevolentiam suorum, sapientiam exterorum audijt, ut legationes uno obitu anno eum visitantes, orbem ei vel famulum, vel amicum testarentur (ut supra in providentia dictum) Sic consumpto gloriæ, triumphorumque stadio per brevi ætatis 47. annorum tempore tertiâ sub Palmarum Dominicam luce, Anno Mundi 5452. Christi 1490. Convers. Hung. 501. Regni 32. pulsantes ad tympana Manes secutus, Albam-Regiam deductus tempore, si corpus; si gloriam, ac merita censeas, æternitate. *Pauca hæc, sat sapienti. Lector ave, ac vale.*

D. O. M. A.

SUB REVERENDO AC CLARISSIMO
PATRE

GABRIELE KAPI

è SOCIETATE JESU,

*Philosophie ac SS. Theol. Doctore, Alma Archi-
Episcopalis Soc. JESU Univ. Tyrnaviensis*

RECTORE MAGNIFICO,

ET

CANCELLARIO AMPLISSIMO.

PER REVERENDUM AC CLARISSIMUM
PATREM

LAURENTIUM TAPOLCSANI

è Soc. JESU, Phil. ac SS. Theol. Doctorem,
ejusdémque Professore Ordinarium, Inclytæ
Facultatis Theol. Decanum Spectabilem,

pro hoc actu

PRO-CANCELLARIUM

*Perillustres, Reverendi, Nobiles, Eximij, tam
Eruditione, quam Doctrinâ, & virtute con-
spicui AA. LL. & Philos. Baccalaurei.*


In Aula Univers. Tyrnav. Anno M.DCC.XIII.
Mense Septembr. Die 5. horâ octavâ matutinâ,
sub pulsu campanæ majoris ad supremam in Phi-
losophia Lauream consequendam licentiâ
donati sunt.

Deinde verò ibidem

PER REVERENDUM PATREM

MICHAELEM FÓLDVARI,

Ex eadem S. J. AA. LL. & Phil. Doctorem, ejus-
démque Professore Emeritum, nec non Facul-
tatis Phil. p. t. Seniore, Supremâ Magisterij
seu Doctoratûs Laureâ solenni ritu con-
decorati sunt.



NOMINA DD.
NEO-MAGISTRORUM
ORDINE
QUO SEQUUNTUR.

I. **P**erillustris D. LADISLAUS IGNATIUS
SIGRAY, de Fölső Surány, Hungarus
Pofonienfis.

R. D. ANTONIUS BACHICH, Præ-
nobilis de Lach, Dalmata Spalatenfis,
Collegij Pazmaniani Alumnus.

2. R. D. FRANCISCUS ARANYOSSY,
Nobilis Hungarus Nitrienfis Collegij
Generalis Cleri R. H. Alumnus.

R. D. JOANNES MATTHÆIDES,
Hungarus Mattyasfalvenfis, ex Comi-
tatu Liptoviensij Seminarij S. Stephani
R. Hung. Alumnus.

R. D. GEORGIUS VAROSSY, Nobilis
Hungarus Lendvajenfis, Collegij Paz-
maniani Alumnus.

2. R. D. MARTINUS RAAB, Hungarus
Capronczenfis ex Comitatu Barsienfi,
Collegij Generalis Cleri R. H. Alumn.

- R. D. JOANNES LADISLAIDES, Nobilis Hungarus Trenchiniensis Collegij Generalis Cleri R. H. Alumnus.
- R. D. ANTONIUS HORVAT, de Bella. Perillustris, Hungarus Soproniensis, Collegij Pazmaniani Alumnus.
- R. D. STEPHANUS BOKA, Nobilis Hungarus Tyrnaviensis ex Comitatu Pofoniensi, Seminarij S. Stephani R. H. Alumnus.
- R. D. MICHAEL BARATHY, Nobilis Hungarus Jaurinensis, Seminarij S. Adalberti Alumnus.
- R. D. BLASIUS KALINKA, Nobilis Hungarus Gattenfis, Collegij Pazman. Alumn.
- D. MICHAEL WRANOVICS, Hungarus Fôlsô-Diosiensis ex Comitatu Pofoniensi.
- D. ANDREAS FILIPOVICS, Hungarus Pridterziensis ex Comitatu Nitriensi.
- R. D. PAULUS WRANOVICS, Nobilis Hungarus Sztrazensis, ex Comitatu Nitriensi, Seminarij Mariano - Szelepcséniani Alumnus.
- R. D. THOMAS BOLDIS, Hungarus Csejkôensis ex Comitatu Barfienfi Collegij Pazmaniani Alumnus.
- D. GEORGIUS HAZICKA, Hungarus Szakolczenfis ex Comitatu Nitriensi.
- R. D. EMERICUS CSER, Nobilis Hungarus Csepregiensis, ex Comitatu Soproniensfi Collegij Pazmaniani Alumnus.

- R. D. GEORGIUS KAMECSANSKY, Hungarus Prividiensis ex Comitatu Nitriensi, Seminarij Mariano-Szelepcséniani Alumn.
- D. MARTINUS MISSIK, Hungarus Prividiensis ex Comitatu Nitriensi.
- D. SIGISMUNDUS KARASZ, Hungarus Szakolczenfis ex Comitatu Nitriensi.
- D. ANTONIUS THAAN, Germanus Leutschoviensis, ex Comitatu Scepusiensi.
- D. GEORGIUS GAZDUNKAY, Hungarus Szuhensis ex Comitatu Posoniensi.
- D. FRANCISCUS ZIMAN, Hungarus Völcfcizienfis ex Comitatu Barsiensi.
- D. MICHAEL NOVIANSKY, Hungarus Schemniczienfis ex Comitatu Barsiensi.
- D. ADAMUS KVASSAY, Nobilis Hungarus ex Nemes-Kvasso è Comitatu Barsiensi.


EXTRA ORDINEM.


- R. D. STEPHANUS LADISLAUS MORITZ HARSANY, Nobilis Hungarus ex Comitatu Kis-Hontensi, Coll. Gen. Cl. R. H. Alumnus, primi anni Theologus.


QUÆSTIONES IN ACTU DECISÆ.

- I. Armisne Hungariæ Reges plus Regnum propagaverint, an pietate?
- II. An Princéps Reipublicæ felicitati meliùs consulat fervendo cives bonos, aut periendo malos?

DETECUM LIBRARI KONVULI
Lelt. O. A. M. D. G.
516-1956







751425

